I. Samuelis Racholij Examen Probabilitatis, quod Jesuitæ, novique Casuistæ Theologiæ suæ Moralis fundamentum constituerunt. = Anno 1644.

II. Copia Decreti, et Relatio Processus Judicialis S. Fidei Inquisitionis Matritensis adversus Authores, et Libros famosos contra Societatem Jesu editos: Qui etiam Romæ a S. Cong.ne 23. Augusti 1634. proscripti = Anno 1634. 30. Junij =

III. Theses Sacræ de Peccatis Ignorantiæ: cum Responso PP. Jesuitarum ad certas veritates = Anno 1689.

IV. Molinismus, non Jansenismus destruens Religionem.

V. Theses theologicæ complexæ Doctrinam S. Francisci Salesij, consonam cum Doctrina Societatis, dissonam a Doctrina (ex Dom.) Summari Huygens. Lovanij Anno 1684.

VI. Elixir Jesuiticum, sive quinta essentia Jesuitarum = Collectore Gratiano Leosthene Salicato = Anno primi Jubilæi Jesuitici.

VII. Antonij Arnaldi Doctoris, et Socij Sorbonici dissertatio theologica, in qua Augustiniana Propo= Defuit Petro gratia, sine qua nihil possumus = totius Traditionis authoritate confirmatur, a Scholæ contentionibus sejungitur, cum varijs Thomisticæ Scholæ sententijs conciliatur, et a pervulgata de Præcepto[illegible]

Ejusdem D. Antonij Arnaldi Epistola, et Scriptum ad sacram Facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam 7. decembris 1655. = Quibus se defendere nititur &

Funiculus triplex (Bajus, Molina, Jansenius) quo necessitas Angelici luminis D. Thomae ad veram S. Augustini intelligentiam insolubiliter astringitur: per P. Carolum ab Assumptione Carmel. discalceat. in Collegio Duaceno nuper lectorem & Anno 1675.

I.

SAMUELIS RACHELII


EXAMEN PROBABILITATIS

QVAM

JESUITÆ NOVIQ; CASUISTÆ

Theologiæ ſuæ Moralis fundamentum conſtituerunt.


HELMESTADII,
Typis JACOBI MVLLERI,
An. cIↄ Iↄc LXIV.



SERENISSIMORUM
BRUNSVICENSIUM AC LUNEBURGENSIUM
DUCUM
DOMINI AUGUSTI,
DOMINI CHRISTIANI LUDOVICI,
DOMINI GEORGII WILHELMI,
CONSILIARIIS
OMNIBUS ET SINGULIS,
VIRIS
GENERE, VIRTUTE, OMNIGENAQUE DOCTRINA
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMISQUE
De
PATRIA,
atque in ea de
ACADEMIA JULIA,
inque hac de
SE, STUDIIS, FORTUNAQUE SUA
OPTIME MERITIS AC MERENTIBUS
PATRONIS
Immortali laude ac gloria dignissimis

Samuel Rachelius
ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ







Nnus jam agitur ſextus, EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMIQUE DOMINI, cum primùm in Ludovici Montaltii Literas ad Amicum Provincialem inciderem, gallico idiomate & ſingulari nitore ſcriptas. Nec multò pòſt eædem Literæ in ſermonem Latinum pari elegantia translatæ, & eruditis Notis à Guilielmo Wendrockio illuſtratæ à me viſæ ſunt. Primum mihi id accidit, quod veteribus Romanis, qui Elephantos Pyrrhi Regis bello primùm conſpectos boves Lucas crediderunt. Ita quam ego honeſtam matronam eſſe conjiciebam, PROBABILITATEM, mox monſtrum helenio & fuco Jeſuitico lævigatum ornatumque deprehendi. Protinus tum meditabar, quomodo in re tam neceſſaria Veritatis vindicias inſtituerem; non parum tamen conſilium meum morabatur trita illa ſenten-

tia, & malè hactenus intellectus Ariſtoteles, rerum moralium nec demonſtrationem nec ſcientiam dari. Cæterum cum docendo, uti fit, indies diſcerem, hanc opinionem non ſolùm falſam ſed ſummè pernicioſam eſſe perſpexi, ſic ut penitus ſim perſuaſus convictusque, de Actionibus moralibus ceu ſubjecto Scientiæ moralis affectiones, videlicet quod vel ſint juſtæ vel injuſtæ, honeſtæ aut turpes, & omnino vel faciendæ vel fugiendæ, ex genuinis Legum principiis ἀποδεικτικῶς veritatem demonſtrari poſſe: adeoque ubi horum argumentorum copia ſit, vagis fluxisque opinionibus nobis non licere inniti. Leges vero uti ſunt principia & regulæ vivendi, ita & demonſtrandi eſſe, ecquis dubitabit? quandoquidem omnis horum principiorum cognitio & veritas unicè ad πρᾶξιν reſpicit, eâque exprimi vult. Quæ cum ita ſint, quàm maleſana illorum eſt doctrina, qui cum THEOLOGIÆ Moralis Doctores ſe profiteantur, affectiones de actionibus hominis Renati ad finem ſupernaturalem dirigendis non magis ex oraculis Dei quam apodicticis rationibus demonſtrant, ſed futiliſſimarum opinionum

& Pro-

& Probabilitatis statera librant. *Viam qui nescit qua deveniat ad mare, Eum oportet amnem quærere, comitem sibi*, inquit Comicus. At Probabilistæ cum fontes rivulosque Israëlis, cum Leges divinas & humanas negligant, quid mirum si limpidam veritatem non adsequantur, sed in Probabilitatis luto hæreant, & nescio quas ex eo Chimæras sibi suisque fingant. Cæterum ne temere hanc disputationem cum Probabilistis ingrederer, & impium hoc dogma publicè mox innotesceret, publicas ante annum διατριβὰς de hoc argumento in Academia nostra proposui, quod quo diutius sub incude mea versavi, eo tetrius mihi semper hoc monstrum fuit visum. Postquam enim larvam Probabilitati detraxeram, omnesque colores meretricios deterseram, Atheismum sub illa persona latitare vidi, quæ Theologiæ Moralis fundamentum ex decreto Probabilistarum sustinere debuerat. Quæ ergo alia vox esse possit Pietatis, quàm Philosophiæ apud Boëthium conquerentis: *Me reclamantem renitentemq; velut in partem prædæ trahebant* Probabilistæ, *& vestem, quam meis texueram manibus, disciderunt, abreptisq; ab ea panniculis totam me sibi cessisse creden-*

tes abiere. In quibus quoniam quædam nostri habitus vestigia videbantur, meos esse familiares Imprudentia rata, nonnullos eorum profanæ multitudinis errore pervertit. Ne igitur speciosa hęc Probabilitas parum cautos fallat, pluribusve deinceps imponat, rem gratam DEO omnibusq; bonis me facturũ credidi, si absurdum illud dogma oppugnarem. Bellum ego nullum indico de Gratia divina vel ex Jansenii vel ex Molinæ sententia disputantibus, argumento à meo foro alieno: Nec illud Jesuitis denuntio, persuasus multos ejus nominis aversari hanc impietatem, etsi propter rationẽ sui Status sententiam suam apertè fortè profiteri non ausint. Sed mihi res est cũ Jesuitis Probabilistis, & quotquot cum istis Theologiæ Moralis fundamentum Probabilitatem constituunt. Non equidem nescio Wilhelmi Wendrockii Notis regestas fuisse alias Notas sub nomine Bernardi Stubrockii, An. cIↃ IↃC LIX. editas, quę tamen ejus ponderis non sunt, ut veritatem deprimere potuerint. Prętérquã enim quod convitiis & maledicentia scateant, Probabilitatis dogma ita is defendere satagit, ut ad omnem illam disputationem magis impeditam reddendam unicè ingenii sui nervos inten-

intenderit: perinde ut compediti rabiosi canes cum se expedire nesciunt, multo strepitu & latratu se in vinculis jactantes magis intricare solent. Vobis vero, EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMIQUE DOMINI hanc meam opellam consecrare volui, quod diu jam meditatus fuerim publicum aliquod meæ erga VOS observantiæ testimonium: quod cum in ea Academia, cujus VOS Magni PATRONI estis, natum sit & elaboratum, Vestro etiam patrocinio diligentissimè idem commendo. Summam Vestram prudentiam, generosas virtutes, exquisitum rerum usum, inq; iis expediendis facilē felicemq; dexteritatem quis nescit? Agnoscunt hæc Vestra præclara merita dotesq; SERENISSIMI PATRIÆ PATRES, Patria ipsa, & Academia Julia, inque ea ego religiosa quadam veneratione prosequor. Proinde Vestro arbitrio hanc causam submitto, & ne conqueri meritò possint adversarii, non minus contra me dici sententiam volo, si perperā quid scripsi, quàm secundum me pronuntiari exoptem, si vera tradidi. Singuli eo valetis judicio, ut in cujusvis arbitrium compromittere nihil dubitē: interim æquo velim feratis animo, quod & Omnibus meam industriam ac reverentiam

proba-

probare, & potentissimæ Sectæ etiam aliquem EXCELLENTISSIMORUM Heroum Virorumque numerum & autoritatem opponere consilium ceperim. Si enim belli Turcici calamitates in autores Lutheranos nuper transferre æque ineptè ac impudenter haut dubitavit quidam malignus Apostata, & chartas suas ad sellas Patrocli abjiciendas, refutatione profectò indignas, nisi refutatę essent, in solenni Imperii Panegyri spargere ausus fuit; quid non de me statueret confertissimus Probabilistarum globus? Sed DEI cumprimis ope, SERENISSIMORUM DUCUM ac DOMINORUM Nostrorum Clementia, Vestra, EXCELLENTISSIMI AMPLISSIMIQUE DOMINI, benevolentia ac favore, ipsiusq; causę fiducia satis securum tutumq; me fore spero. Servet VOS DEUS Omnes & Singulos bono Patriæ, Patriæ Patrum, Academiæ Juliæ, Vestrasque virtutes & merita æternis, ut &, quibus hic frui vultis, lautissimis remuneret præmiis. Valete.

SUM-

SVMMO VIRO
D. HERMANNO CONRINGIO,
Collegæ, Patrono ac Doctori suo observanter colendo
S. D.
Samuel Rachelius.



Uod cùm meo consilio tùm Tuo hortatu suscepi negotium perfeci: de quo plura fortè commentatus sum quorundam sententiâ, quam opus fuerit, quòd absurdissimum maximeq; impium PROBABILITATIS Jesuiticæ dogma eruditè ac solidè jam refutaverit in suis ad Montaltii Literas doctissimis Notis is, qui Guil. VVendrockius appellari cupit. Aliorum vero sententiâ oppidò pauca dixisse videri queam, quod PROBABILITAS Jesuitica tot sinuosis adserta voluminibus saltem aliquâ scriptorum mole retundi debeat. Verum enimvero neutram censuram magnifacturus sum, modò sim certior, ea quæ scripsi & personatis illis vegrandibus Doctoribus opposui, vera esse. Si enim nimia sunt, quæ attuli, impii dogmatis detestatione & Zelo veritatis gloriæ divinæ, cui cumprimis lumen obstruunt, me abreptum cogitent: Sin pauciora, plura addendi nunquam deerit occasio. Et licet confidam, omnia quæ Probabilistis regessi, esse verissima, sit ut animum habeam planè ἀμετάπλωτον, antequam tamen illa publicæ luci ac censuræ exponam, (uti quidem à me exigitur) nihil mihi gratius fieri posset, quàm si Tu, rerum divinarum humanarumque scientissimus, Doctoris officio fungi, & commentatione mea in PROBABILITATEM fugitivo tantum oculo (multum enim temporis studiis tuis eripi nolim) perlustrata monere me velis, quæ fortè parte emendari, augeri, minui, mutarive aliquid in melius possit. Ipsum quidem illud dogma absurditatem impietatemque suam adeò manifestè præsefert, ut majoribus machinis atque decretoriis ar-

is armis id oppugnari minimè opus fuerit; cum tamen videam tantum non omnes Jesuitas Casuistas (quibus magno suo in Probabilitatem merito accensendi sunt, licet alius gregis Socii, Caramuel & Diana) non tam rationibus, quàm mole ac numero sui Atheismi nutriculam Probabilitatem defendere, vix ausim solus in aciem prodire, sed cum Diomede Trojana castra exploraturo socium mihi adjungi velim, σύν τε δύ' ἐρχομένω. Tu itaque si is fueris, non addam etiam Agamemnonis votum, τοῖοι δέκα μοι συμφράδμονες: quòd TUUM judicium pluris faciam quàm Probabilistarum omnium. Utinam modò orbis, cui denuo monstrosum hoc dogma inspiciendum exhibetur, satis accuratè ejus deformitatem ac vitia agnoscat! Utinam Principes ac Rerump. gubernatores perspiciant, in quanto ipsorum res periculo sint! Qualis enim Probabilistarum est doctrina Moralis, talis quoque non potest non esse eorundem doctrina Politica: quæ quantorum malorum & calamitatum sit puerpera, Turcicus, qui jam grassatur, furor nemini non testatum facit. Angere conscientias, inhiare aliorum possessionibus, Principes ac magistratus intempestivo religionis stimulo in subditos ceu hostes concitare, illos, qui primi primum impetum hostilem fortiter ac fideliter excipere potuissent, infensissimo Christiani nominis hosti laniandos devorandosque propinare, tot animas dirissimæ servituti tradere, omnemque rem Christianam in summum discrimen adducere, ejusque generis alia designare, maximè ipsis probabile & gloriosum videtur. O fatalem stuporem! Saltem enim ingemiscere liceat, si fortè disertius omnia horum vitia proloqui nefas fuerit. Tibi vero, Vir summe, cum hæc aliaque exploratissima sint, TE male audire, & ex TE discere, ubi tandem, imò ecquam sibi metam Probabilistarum insania sit positura; &, si remedio forte locus non sit relictus, annon Majestati civili de his statuendum fuerit, quod de Cynicorum natione pronunciat πολιτικώτατος Cicero, qui eam omnino ejiciendam esse putat, quod sit inimica verecundiæ, sine qua nihil rectum esse possit, nihil honestum. Majori enim suo merito Probabilistarum secta funditus exstirpanda fuerit, quòd sit inimica legibus & pietati, sine quibus nihil sanctum rectum aut honestum esse possit. Vale.

CLARIS-

CLARISSIMO VIRO
SAMVELI RACHELIO,
Moralis Philosophiæ eximio Professori, Collegæ & amico suo
HERM. CONRINGIUS
S. P. D.



Ovæ hujus operis editionis abs te factam curationem, Clarissime Racheli, non equidem dubito, ut sunt hominum mores, in duo reprehensionum genera incursuram. Alterum, quod liber hic omnis Theologici sit argumenti, alienus itaque à demandato tibi Moralis Philosophiæ docendæ officio, falcemque Tu proinde miseris peregrinam in messem. Alterum, quod eidem huic libro jam tum ante hosce quinque annos ab eo qui Bernhardus Stubrockius Viennensis Theologus dici voluit, illæ sint inustæ Notæ, ut videatur orco dandus, non certè redire in lucem oportere nisi ante gravi apologetico famæ suæ restitutus. Verum quantùm equidem iudico iniqua est utraque reprehensio, atque adeò non est quod

illas unius æstimemus assis,

Neque Tu præter officium quidquam, imò id quod muneris Tui ratio omnino expostulavit, præstitisti.

Enimverò primi quidem illi reprehensores, præterquam quod injustissimè operas eruditi variæ animi intra angustias publici cujusque muneris compingant, inscitiam profectò suam produnt, uni Theologico ordini accensentes volumen quod saltem maximam partem Moralis est Philosophia. Habet scilicet ille liber nonnulla merè quidem sacri illius fori, ad illam quæ inter Romanenses fervet, de Cornelii Jansenii Episcopi quondam Iprensis, à Papa Innocentio X iterumq; ab Alexandro VII damnatis quibusdā placitis, contentionem attinentia; verum hæc pauciora sunt, & abs Te ideò potissimùm nunc edita dennò, quandoquidem à reliquo corpore sejungi commodè haud potuerunt, ne capite & caudâ ut ita loquar volumen elegans mutilaretur. Absq; vero etiam hoc fuisset, operæ in editionē impensæ tamen, me quidem judice, fecisses Tu pretium, quoniam sacrorum talis curatio in officio est cujuslibet

Christiani: & interest Ecclesiæ, ut Romanensium litium arcanissima quæq; â nostris etiam omnibus, quibus nihil in speciē majus quàm discordia objici solet, quasi Roma mera sit malacia & tranquillitas, intelligantur. Quod reliquum autem est operis, id utique citra controversiam unicè est Moralis argumenti. Quicquid nimirum ad Epistolas à quinta usque ad sextam decimam pertinet. Imò & in aliis, cumprimis in tertia, reperias haut pauca quæ huc faciunt. Audiunt quidem & illæ, non Philosophiæ, sed Moralis Theologiæ nomine: verum latiore quodam vocis Theologiæ usu id fieri, haud obscurum est. Scilicet Theologia, prout â Philosophia diversum est doctrinæ genus, id demum est proprium, quod ex divinitus editis eloquiis sive planè ἀμέσως sive μέσως quodammodo accipitur. Cujusmodi de omni morum ratione ex utriusque fœderis, Novi cumprimis, codicibus sacris plurima promi possunt. Horum autem nonnulla quidem aliunde haud cognoveris, pleraque tamen etiam naturâ nota, atque ex principiis evidentibus demonstrari apta, atque adeò hactenus quidē Philosophico foro tribuenda sunt. Quandoquidem autem hinc, etiam ipsis illis in sacris Codicibus, multa de moribus, non tam ex divino præcepto, quàm facta ex naturâ ipsâ ratiocinatione, docentur; ab aliis quoque omnibus, quibus salutis æternæ hominibus curandæ commissum munus est, quæ curatio Theologica est, quàm frequentissime idem fiat, postulante idipsum partim necessitate, in sacræ scilicet Scripturæ silentio, partim insigni ad populum movendum accuratiusq; docendum utilitate: ideo vulgò Theologiæ Morali adscribi solent, quæ reapse Philosophicæ sunt possessionis. Non alio tamen jure, quam ad Medicos vulgò creditur pertinere accuratior mineralium plantarum animaliumque scrutatio; postquam illam qui Philosophi audiunt neglexêre, Medici verò quasi usu fecerunt suam: Philosophiæ tamen Naturali meritò priscis suis limitibus manentibus integris. Quantumvis igitur Tibi, Clarissime Racheli, haut fas fuerit manum Theologico argumento admovere, (quod dictu iniquissimum est) licet utique Tibi vindicare Philosophiæ Tuæ judicio Moralis hujus operis disputationes: ceu quæ tota reapse Philosophicæ sint & solo titulo Theologicæ: atque adeò poteris Tu primum illud reprehensorum genus securè spernere.

Pari modo verò non est, quod alteros illos vel unius facias

flocci.

flocci. Et Stubrockium scilicet illum non minus atque VVendrockium ac Montaltium legisti, recteque judicasti, non esse Stubrockiana paria tollenda doctrinæ adversariorum : laudanda scilicet potius ab emendata styli Latinitate & acri scriptione quam rerum pondere. Et verò Montaltii omnia (loquor de Moralibus) docta utique sunt, & ille minus hactenus in vulgus nota Jesuiticæ Philosophiæ fœda ἀπορήματα felicius, quam ferro aut igne possis, aggressus est. Scribit nonnemo Epistolas illas Parisiis esse lictoris manu ex decreto Parlamenti combustas, vereor autem ne vel error aliquis alius, vel eorum quorum interest hoc credi deceptio, scribenti imposuerit. Nam illæ quidem literæ jam annos 55 & 56 Lutetiæ prodierunt in lucem, & tamen nondum anno 59 ibi ignem infamem expertas esse, certo mihi argumento est ipse Stubrockius, non semel quidem memorans anno septimo quinquagesimo flammis ex Parlamenti decreto Aquæ sextiis traditas, Parisiensem autem similem sævitiam tacens, neutiquam id facturus si contigisset. Pòst demum id factum, cui fiat verisimile? Quin imò cum non nisi soli Aquæ sextienses Senatores ita exarserint, facile liquet reliqua Galliæ Parlamenta longè aliter judicasse. Id certius, Epistolas illas à Sacrâ Congregatione in censum prohibitorum librorum jam septimo quinquagesimo anno relatas. At verò Romana illa Censura, quam procul absit à falli nescia, quæ Papis tribuitur, arbitrandi facultate, etiam sui haud dissimulant, præsertim transalpini: apud quos jam dudum evanuit illius Censuræ auctoritas. Fortassis quoque Jansenistica potius sacra placita damnata voluit, quam putida illius Moralis doctrinæ justam reprehensionem. Et verò ab eâdẽ Congregatione biennio post damnatus quoq; est Epistolis his oppositus Casuistarum Apologeticus. De Montaltio ipso nihil mibi constat. Esse verò & Gallum & Jansenianorum dogmatum fautorem, id facile est decernere. Æque notus mihi autẽ est & ille qui sese Guilhelmum VVendrockium appellavit. Etiam illud ejus nomen fictum esse liquet quidem, nec tamen certò dixerim Germanum esse, quamvis voluerit Theologus Salisburgensis audire: & habuerim hic ante octennium circiter per hebdomadas aliquot familiarem Jansenistam, qui nomen suum & gentem dissimulabat, nisi quod per annos complures in aula Salisburgensi vi-

xisse sese, inde vero jam decessisse Jesuitarum metu, ostenderet. Erat sanè ille vir in S. Augustini lectione versatissimus, & in Lovaniensi quondam institutus schola, jamq; tum tecto nomine nonnulla pro Jansenii partibus ediderat: gente, ut post intellexi, Suecus, sed ex patria religionis causa profugus: qui hinc discedens Lubecæ obiit suum diem. Illum tamen sub VVendrockii persona utiles hosce ludos fecisse, quare haud credam, facit solida in omni Morali sapientia eruditio, in VVendrockii opere plane splendens; qualem me in altero illo non deprehendisse memini. Bernhardus Stubrockius Viennensem Theologum sese professus est, sed perinde fecit fucum. Jesuita noluit videri, esse tamen haud temerè negaveris. Quisquis sit, pollet utique exquisitâ convitiandi & maledicendi facultate: quæ dos hodie Jesuitis compluribus est quasi propria, imò ut ipsi censent plane virtus quædã, velut calumnia bonum opus, si cum adversario justissimam actionem intendente sibi res sit. Ubi immania convitia tuleris è medio & acerbissimas sugillationes, libri illius parum supererit: adeò in iis totus est. Summa capita ejus, quæ præter hæc est responsionis, ferè reduxeris ad illa, quorum meminit in præambulis ad Epistolas quæ sequuntur quintam VVendrockius: hoc est ad inepta effugia libellorum Gallicorum contra Montaltium in defensionem Jesuitarum & Casuistarum exaratorum. Illa cum furiosa maledicentia repetens librum suum Stubrockius absolvit. De suo addidit vix quicquam, præter sexcenties jactitatam Censuram Romanam in Janseniana dogmata & Provinciales Epistolas: quasi scilicet ad Moralia quoque isthæc Jansenianorum dogmatum damnatio pertineat, aut simpliciter satis sit Montaltii Epistolas Romæ esse prohibitas legi. Præter item superbas cavillationes in Moralium illorum placitorum damnationem, à Clero potissimo Gallicano pariter & Belgico institutam. Præter denique oppidò paucos noviter inventos turpis doctrinæ fucos. Qualis est quo utitur in defendenda perversissima illa Philosophia; probabilem sententiam quamvis falsam & legi divinæ contrariam à peccato coram Deo absolvere, *tum demum ita sese rem habere, si error ille planè sit invincibilis. Id quod Probabilitatis novorum magistrorum nemo dixit; & planè adversatur eorum illi doctrina, quæ concedunt, licere minùs etiam tutam & minus probabilem sectari opi-*

nionem

nionem contra quàm ipse sentias. Passim verò non etiam verecundatur, perinde ut Montaltii duo adversarii, perfricta fronte negare, quæ sole ipso sunt clariora. Nisi forte reapse haud neget, sed ceu fieri solet ab iis qui mentiendi, sive, ut ipsi vocant, æquivocandi *artem profitentur, ludat* mentalibus restrictionibus, *ut verbis perfida methodi liceat uti.*

Talis verò cum sit Stubrockius, quis intelligens vitio Tibi vertat, Clarissime Racheli, quod non attento illius hominis judicio, caussam Montaltii & VVendrockii probaveris? Præsertim quum pleraque eorum, quæ uterque carpit, Stubrockius autem defendere voluit, jam tum ab ipsis Theologis Parisiensibus & Lovaniensibus, à Parochis bonæ Galliæ partis, ab Episcoporum Galliæ pariter & Belgii flore ipso, proscripta sint & damnata. Imò quum ipsa illa quæ Montaltio opposita est Apologia Casuistarum, cujusque patrocinium Stubrockius suscipere non erubuit, non ab illis quos dixi Episcopis duntaxat, sed tandem à Papa Alexandro ipsomet orco sit tradita. Quis bonus non laudaverit Te, Vir Clarissime, quod in Germaniæ quoque nostræ usum, volueris luci dare librum longè doctissimum pariter & utilissimum, cæteroquin vix cuiquam conspicuum? Et verò spes me tenet saltim optimos quosque etiam nostri Episcopalis Cleri, tandem aliquando insuper habitâ Jesuiticâ factione, ad præclarum illud exemplum Gallorum Belgarumque, morum doctrinam ab improbis corruptelis vindicaturos. Quod si illi officium publicè facere, Jesuiticam veriti potentiam, non fuerint ausi; non dubito tamen, complures Romanensium partium saltim in occulto deprehensuros tandem, qualibus magistris, qualique doctrina, tot millium animarum, implacabili innocentiæ nostræ odio infectarum, curatio hodie in Germania subnixa sit. Nostris hominibus comprimis utile fuerit, non tam discere hinc, quid sibi etiam in perversa morum doctrina sit cavendum fugiendumque, (hoc enim non est, Deo sit gratia, ut vel à Montaltio vel à VVendrockio nunc demum doceamur) quàm vim divinæ indignationis in illos, qui malunt timere Dominum juxta mandatum & doctrinam hominum potius quam ex præscripto divini verbi, (quâ nempe occulto Dei judicio, perit à sapientibus sapientia, & intellectus prudentum absconditur) *in morum doctrina non minus quam in aliis*

clarissi-

clarissime splendentem, & admirari pariter & cum horrore venerari. Et verò non ovum tam est ovo simile , quam veterum Pharisæorum & Casuistarum nostri ævi infelix fatum. Ut apud illos scilicet olim, ita nunc apud hosce nostros certante cum summa eruditione (nec verò hanc laudem citra injuriam ipsis detraxero) inusitato stupore. Quoniam verò Jesuitæ ipsi ambiunt primi & esse & videri in Casuistarum illo ordine, ad illos quoque maximè hoc pertinere, nec ego negaverim. Non tamen toti Societati velim imputari culpam: quamvis potissimi quiq; suam illam fecerint: cũprimis illo suo in Generali nuper cõventu decreto ad accusationes omnes silentio, cum nulla tamen perversæ doctrinæ publica vel agnitione vel correctione, ne quid pristinæ existimationis in vulgus sibi pereat: quæ solent esse consilia illorum, quibus potior est vani honoris quàm pietatis cura. Nullus scilicet dubito, superesse in tanto Sodalium numero, & bonos & pios & doctos, qui saltim clam doleant & deplorent vibices sui ordinis, moniti autem infelicitate etiam suorum qui vel mutire hactenus fuerunt ausi contra vim Sodalitatis criminum, publicè tegunt animum & dissimulant. Quin imò dixerim fortè haud injuria, eodem esse animo Alexandrũ ipsum cum sua Congregatione, quæ Jesuiticæ factionis Romana in Curia hodie est potentia: etsi haud vacet gravissimâ culpâ

dans corvis veniam & vexans Censura columbas.

Sed fortassis non est, quod nos magnoperè illorum qui extra sunt caussa mordeat.

Te verò, Clarissime Racheli, etiam illo nomine gratias magnas apud intelligentes æquosq; inventurum confido, quod volueris addere operi alieno Tuum insigne de Probabilitate opusculum. Quamvis enim Novam illam improbam doctrinã sic satis egregiè & prolixè Wendrockius persecutus sit, Tuum quoq; tamen ferrum omnino postulavit virulentia tanti carcinomatis. Actum scilicet est de omni probitate, actum de omni religione, nisi in tempore radices ipsæ usq; adeò improbæ doctrinæ evellantur. Mirum verò, ni stuporem illum magnis magistrorum ingeniis afflaverit idem ille Spiritus, qui Rabbinos olim fecit profiteri, suas omnes quamvis contradictorias sententias Deo perinde probari. Certè si à peccato est alienum quicquid ex sententia fit alicujus probabilis magistri, eodem recidit res, & sibi adversantia licet magistrorum placita Deo


accepta

accepta sunt. Utinam, Clarissime Vir, Tibi supersit tantum otii, uti parem industriam possis impendere in exagitanda æquivocationum portentoso artificio! Hunc Jesuitarum proprium dixeris fatum, ut quem ipsemet magnus aliquamdiu Jesuitarum parasitaster, eorum tamen malis artibus tandem loco motus, (si credimus Valeriani Capuccini Defensioni pag. 52.) Caramuel, non dubitarit artem mentiendi appellare. Tetigit enim quidem hoc etiam ulcus Montaltius Epistola nona sed parcè admodum, nec uti exigebat vis mali. Et verò periit fides ab omni fere humano commercio per illud monstrum. Thomas sanè Sanchez operis Moralis lib. III. n. 11. disertè profitetur, justas esse utendi amphiboliis causas, quoties id necessarium est aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas: cujus quàm latus est ambitus! Ex hoc Opere disco, illius etiam locum aliquem esse in promissis, imò in ipsis sacris criminum confessionibus. Brevi omnia inficiet illa pestis nisi caveas. Etiam Tua itaque opera hic multum proderit bono publico. Feceris verò laboris precium & circa unumquodque reliquorum in hoc Opere confossorum, imò & aliorum (multa enim hic intacta abierunt) portentorum. Nihil sanè non ad examen Tuum pertinet. Sed & poteris Tu nihil horum non feliciter expedire, modò animum attenderis. Quod Te facturum simul licuerit, haud equidem dubito: constans & industria Tua non minus quàm eximia doctrina. Non possum verò non laudare etiam, Vir doctissime, quod subjungere volueris quæ novissime agitata sunt Parisiis de Papæ Romani circa facti quæstiones infallibili auctoritate. Enimvero qui Papa fuerit Christi vicarius, qualem sese venditat, sine illa circa τὰ καθ' ἕκαστα divina quadam facultate, non equidem video: quandoquidem administratio rerum in singularibus maxime est occupata, & in hisce potissimum opus est prudentiâ. Hinc sanè manifestum omninò videtur, aut Papam vicedeum non esse, aut alterum etiam illud ipsi competere. Cum nemo itaque Paparum hactenus in facti quæstionibus infallibilem sibi auctoritatem adscribere fuerit ausus, equidem etiam illud magno semper apud me fuit argumento, totum illum vicedeatum nihili esse & merum commentum.

In publicum itaque multum profuerit, de hoc quoque argumento concertantes videre Jansenistas pariter & Jesuitas; in ruinam scilicet impii illius vicedeatus Papalis. Nihil sane est certius, quàm novam hæresin esse Jesuiticam, Papam esse in facti quæstionibus infallibilem. Nihil itidem est certius quàm quod profitentur nunc hi Jesuitæ, absque tali infallibilitate non constare sibi vicedeatum.

Sed quo prolabor? Absolvam me paucis. Perplacet, Clarissime Racheli, illa quam impendisti opera & in volumine isthoc Montaltio-VVendrockiano secundùm edendo, & cumprimis in turpi illo Probabilitatis monstro singulari disputatione conficiendo. Non temerè profecto potuisses nunc rectius de humano genere mereri. Nec tamen est quod mihi uni hoc credas, firmâ jam tum ἀποδείξει *subnixus, adeoque nullo indigens suffragio. Habebis verò brevi consentientium testimoniorum vim magnam ex omnibus partibus, omnibusque hominum ordinibus, etiam illis quibus nostra aliàs suspecta sunt, prævalente scilicet vi veritatis, saltim bonis quibusque & æquis. Jesuitarum pessima nota (nec enim vel illi promiscuè omnes succensebunt) odia securè poteris spernere, sat Deo felix amico. Solis sibi obnoxiis metuenda illa infausta potentia est. Quin potius Tu id egeris, quod Te paulo ante rogavi: hoc est, perge quæso in reliquis etiam illius monstrosæ Philosophiæ capitibus, cumprimis illa* mentalium restrictionum *hydra, contundendis. Non minus sanè Tibi quondam gratias referet pia posteritas, quàm Herculi* ἀλεξικάκῳ. *Ego Deum venerabor, uti & vires & facultates tam præclaro facinori suppares Tibi benigne largiatur. Helmestadii in Academia Julia, Nonis Martiis, CI). I). C. LXIV.*

De



De

PROBABILITATE JESUITARUM, NOVORUMQVE CASUISTARUM.

CAP. I.

Præmittuntur quædam in genere ad doctrinam Probabilitatis pertinentia.



Veritatis ſtudium amplecti, omnemque mentis aciem eò convertere, res profectò per ſe, hominisq; præſtanti natura digniſſima eſt. Cum vero ſapientiſſimus quisque non difficulter agnoverit, quanta intellectus noſtri ſit imbecillitas; quàm frequens hallucinatio; ipſam Veritatem neſcio in quas tenebras aut Democriti puteū multi coniiciunt atq; præcipitant, quæ ſua ſemper luce radiat, nec fuco aut perſona identidem mutata fallit, ſed ſemper una eſt & eadem. Hac cauſa factum eſt, ut plurimi hanc Deam ejusque ſacra coluerint, ritu licet multùm diverſo, & ad illius arcem contenderint, ſed viis inceſſerint ſæpe contrariis, perplexis & aviis. Hi ſunt quos Sapientes appellarunt veteres, modeſtia Pythagoræ Philoſophos nuncupavit. Quod ſanctum nomen, uti eſt ipſa Veritas, quàm multi involarint, ſuoque contactu velut Harpyæ fœdarint, nemini non manifeſtum eſſe puto: aut ſi præter exſpectationem hic quisquam hæſitaverit, mox ei fidem faciam. In quàm multas enim & ſententiis variantes ſectas ſcholasq; diviſi fuerint veteres Philoſophi, in vulgus eſt notiſſimum. Hi Philoſophiam reclamantem renitentemque,

velut in partem prædæ traxerunt, vestem, quam suis texuerat manibus, disciderunt, abreptisq; ab ea panniculis, totam illam sibi cessisse credentes abiere: uti eleganter hoc exprimit Boëthius *de consolat. Philos.* Interim, si Lactantio credimus *lib. 7. de div. præm. c. 7.* nulla Secta fuit tam devia, nec Philosophorum quisquam tam inanis, qui non aliquid ex vero viderit. Ut rem in compendium conferam, omnes illas Philosophorum nationes in tres classes rectè compingi posse existimo, si variam discendi docendiq; methodum illorum inspexeris; ipsam enim si spectes Veritatem, duæ suffecerint classes, quarum una pars vera, altera falsa tradiderit. Unum itaque genus fuit valde superbum, quod ingenio & prompta lingua præfisum omnis generis accuratam exactamq; sapientiam profiteri non verebatur: qui veteribus Sophistæ dicebantur. Alterum genus nihil sciri posse docebat, omnia esse incerta ac dubia, non magis esse verum hoc quàm illud, pulchramq; scilicet nobis prolem ἀκαταληψίαν, ἀῤῥεψίαν & ἐποχὴν peperit. Medium inter hos locum obtinent illi, qui διάνοιαν mentis rebus cognoscendis ita applicarunt, aut saltem id operam dederunt, ut harum modulo illam cohiberent, nullasq; sibi mens chimæras aut ideas fingeret, sed tantum de rebus cognosceret, quantum in iis revera est, ad plus aut minus adsensum neutiquam inclinans. Cum vero res non sint ejusdem naturæ, & aliæ magis, aliæ minus constantes, scientia una aliâ solidior est. Interim qui quamque rem ut est cognoscit, is veram ejus habet scientiam: qui autem rei quid addit aut demit suo intellectu, adeoq; vel plus vel minus de ea concipit, veram ejus scientiam non habet. Non dicam de omnibus his prolixiùs: hoc tamen dissimulare nequeo, posterioris generis philosophos verè tales esse, quiq; tanti nominis mensuram impleant: pessimos autem fuisse illos, & philosophorum nomine planè indignos, qui dubitationum librâ suspensi semper hæsitant, nec cœlum nec terram tangentes. Temerè, hoc est, sine ratione adsensum præbere, semper vitiosum fuit. Nullam rationem admittere aut sequi, sed omnia veritatis κριτήρια

sensum

ſenſum, mentem, experientiam, tollere: etiam impium eſt. Quo enim quæſo fine DEUS tot hominis animæ facultates inſevit, niſi ut expeditè quæque ſuo munere fungi, ratio autem omnia diſponere ac dirigere ad veritatem cum theoreticam tum practicam poſſit? Hoc vero quî fieri queat, ſi ſubſervientes rationi facultates non certæ ſint vel de ſuis objectis, vel operationibus? aut denique illud ſequetur maximè ἄλογον, cum hæc tum alia omnia eſſe fruſtra. Pernicioſiſſimæ verò ſunt illæ diſputationes ζητητικαὶ, & nusquam ſubſiſtentes, ubi in eam incidunt materiam, de qua ut certi ſint, hominum unicè intereſt, quod ipſa hæſitatio ſæpe ſuo non careat crimine ac pœna. Non enim parvi, ſed maximi refert, ut ſcias quomodo tibi vivendum ſit, poſſitne illa actio, quam animo agitas, ſine peccato ſuſcipi, nec ne. Sed diſertiùs ac planiùs hac de re omni dicemus in progreſſu. Inter veteres igitur non æquè alii mihi ſemper diſplicuerunt, quam Academiæ mediæ novæque ſectatores, Pyrrhonii, & quotquot Scepticorum nomen ac placita (ſi ulla habent) amant. Prolixior eſt diſputatio, quam ante ſecula jam contra hos inſtituit Lucretius, propter elegantiam tamen & rei momentum digna prorſus quæ hic legatur. Ita igitur ille *lib. 4. p. 122. edit. Giſan.*

Nam nihil egregiùs eſt, quàm res diſcernere apertas
A dubiis, animus quas à ſe protinus abdit.
Deniq́ue, nil ſciri ſi quis putat, id quoque neſcit,
An ſciri poſſit, quom ſe nihil ſcire fatetur:
Hunc igitur contra mittam contendere cauſam.
Qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retro.
Et tamen hoc quoque uti concedam ſcire; at idipſum
Quæram, cum in rebus veri nihil viderit ante;
Unde ſciat, quid ſit ſcire, & neſcire viciſſim.
Notitiam veri quæ res, falſiq́ue crearit;
Et dubium certo quæ res differre probarit.
Invenies primis ab ſenſibus ipſe creatam
Notitiam veri, neq́ue ſenſibus poſſe refelli:
Nam majore fide debet reperirier illud,

Sponte

Sponte sua veris quod possit vincere falsa.
Quid majore fide porrò, quàm sensus haberi
Debet? an ab sensu falso ratio orta, valebit
Dicere eos contra, quæ tota ab sensibus orta est?
Qui nisi sint veri, ratio quoq; falsa fit omnis.
An poterunt oculos aures reprehendere? an auris
Tactus? an hunc porrò tactum sapor arguet oris?
An confutabunt nares, oculive revincent?
Non, ut opinor, ita est. Nam seorsum cuique potestas
Divisa est; sua vis cuiq; est. ideoq; necesse est,
Quod molle, aut durum est; gelidum, fervensve; seorsum
Id molle, aut durum; gelidum, fervensve videri:
Et seorsum varios rerum sentire colores,
Et quæcunq; coloribus sunt conjuncta necesse est.
Sensus item sapor oris habet vim; seorsus odores
Nascuntur; seorsum sonitus: ideoq; necesse est
Non possunt alios alii convincere sensus.
Nec porrò poterunt ipsi reprendere sese:
Aequa fides quoniam debebit semper haberi.
Proinde, quod in quoq; est his visum tempore, verum est.
Et, si non poterit ratio dissolvere causam,
Cur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint
Visa rotunda: tamen præstat rationis egentem
Reddere mendosè causas utriusq; figuræ,
Quàm manibus manifesta suis emittere quæque;
Et violare fidem primam, ET CONVELLERE TOTA FUNDAMENTA, QVIBUS NIXATUR VITA SALUSQVE;
Non modò enim ratio ruat omnis; vita quoq; ipsa
Concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
Præcipitisque locos vitare, & cætera, quæ sint.
In genere hoc fugienda; sequi, contraria quæ sint.
Illa tibi est igitur verborum copia cassa.
Deniq; ut in fabrica, si prava est regula prima;
Normaq; si fallax rectis regionibus exit;
Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum;

Omnia

Omnia mendosè fieri atq; obstipa necessum est,
Prava, cubantia, prona, supina, atq; absona tecta;
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantq;.
Prodita judiciis fallacibus omnia primu:
Sic igitur ratio tibi rerum prava necesse est,
Falsaq; sit, falsis quæcunque ab sensibus orta est.

Hæc Poëta ille, qui licet Epicureæ sectæ sit addictissimus, hac tamen philosophia (fas mihi sit hoc nomine jam cum vulgo abuti) agnovit convelli *fundamenta, quibus nixatur vita salusq;.* Ubi enim hanc philosophandi rationem ad τὰ πρακτὰ attuleris, expeditissima ad ἀθεϊσμὸν via erit. Sed quid est quod Academicos, Pyrrhonios, ejus generis gentiles alios miramur, eorũq; perniciosam fluctuationem detestamur? Etiamsi enim ab hisce corruptelis dudum adserta sit philosophia cumprimis practica, de qua nobis jam unicè sermo erit, & optimo jure vindicias instituere possit Verbum Dei revelatum; in eodem tamen, licet multùm profundiori tenacioriq; hærent luto ii, quibus hæc gratia illuxit, modò ea vel rectè vel integrè uti vellent. Quid enim quæso sibi vult monstrosum PROBABILITATIS dogma, quod à Jesuitis novisque Casuistis varia arte manuq; expolitum totius Theologiæ Moralis fundamentum seu ἀκρόπολις constituitur. Hinc enim tam impiæ, absurdæ, profligatæque adsertiones ac sententiæ ab iis producuntur, ut arrogans temeritas ad sublimius insanientis sapientiæ fastigium illos provehere nequiverit. Scilicet si alibi, luculentissimè hic veritas axiomatis Aristotelici apparet. *1. de cælo c. 5.* Ut *si quis initio parumper tantùm recedat à veritate, fieri aberrationem in progressu decies millies majorem.* Item, *Errorem, qui in principio parvus sit, in fine evadere longè maximum.* Etsi autem non diu latere soleat Veritas, sed facilè caput efferre, errorumque nebulas sua luce dissipare; pestilentissimum tamen PROBABILITATIS dogma satis diu Autores illius & magistri aluerunt, autoritate partim, qua apud suos pollent, partim speciosissimo religionis prætextu fallentes, donec tandem omnium oculis hoc monstrum se ingessit, & cujusvis saltem

non extremè improbi justissimam indignationem in se concitavit. Si quis enim penitius hujus doctrinæ regulas inspexerit & pensitaverit, de rebus maximi momenti & *quibus nixatur vita salusq́;* planè Academico more disceptant ac fluctuant: & dum temerè autoritatem quorumlibet Doctorum, spretis veris ac genuinis rationibus, seqvuntur, & contrarias sententias probabiles approbant, minus probabilem sententiam etiam tutam conscientiam reddere ajunt, & omissa solidiori propria, alterius probabilem opinionem cupiditati agentis velificantem amplecti licere statuunt, Academicos quidem impietate longè superant, & in easdem se difficultates induunt, quibus dementati hærent Hebræorum magistri, quos Rabbinos vocitant.

Hi quippe omni ratione proculcata non dubitant profiteri, contradictorias Rabbinorum sententias utrinque veras esse. Nam, uti Lipmannus docet, *Ex utraq́; parte quæ proferuntur, sunt verba DEI viventis.* Ex tali igitur hypothesi talis emergit adsertio. Refert idem Lipmannus sequentia: *Integro triennio dissensere domus Schammai & domus Hillel: illi dicebant, juxta nostram sententiam statuendum: hi referebant; imò vero juxta nostram ferendum est judicium. Egressum est atq́; auditum oraculum divinum,* UTRAQVE SUNT VERBA DEI VIVENTIS; *statuendum tamen juxta sententiam domus Hillel.* Lepidum caput! utraque dicit esse verba DEI viventis, & tamen judicium ferendum secundum domum Hillelis, hoc est, hujus conclusionem esse veram. Ita domus Schammai contendit, cœlum terrâ prius esse conditum, quod *Gen.1.v.1.* cœli prior fiat mentio. Contrarium tenebat domus Hillelis, confisa textu *Gen. 2.v.4.* ubi terra prior nominatur. Utraque sunt verba Dei viventis, sed juxta oraculum illud divinum, domus Hillelis erit vera. Ut obiter hoc addam, fuerunt illi Doctores celebres, Schammai & Hillel, tempore Augusti & Herodis. Perquam crassam hanc absurditatem ut defugiant, remedium petunt ab Intentione; ceu

Proba-

Probabilistæ sæpe ad *Methodum dirigendæ intentionis*, confugere solent. Ita enim in libro הרוח Cracoviæ impresso *part.5.c.3.n.5.* legitur: *Rabbini nostri dixerunt, quænam dissensio non sit propter DEum? illa est dissensio Corachi & congregationis ejus. At quis est dissensus, qui fit propter DEum? Is est dissensus Hillelis & Schammai. Expositio hac est: etsi prima fronte apparet, ac si DEI nomine non susciperetur, cum impossibile sit, verba utriusque vero esse consona; hoc tamen nil obstante dicimus, cum intentio eorum in DEum feratur, utraque esse verba Dei viventis.* Agnoscit igitur Autor hic contradictoriam utramque veram esse non posse absolutè consideratam, sed ex intentione Dei esse posse. Pulchrè scilicet! Nimirum placet illis adhuc commentum vetus & vitiosissima interpretatio textus *Deuteron.17.v.8.seqq.* Verba hæc sunt: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, inter judicium & judicium, inter plagam & plagam, verba contentionum in portis tuis, surges & adscendes ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad sacerdotes Levitas, & ad judicem, qui erit diebus illis, & quæres, & indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequeris sententiam eorum, neque declinabis ad dextram neque ad sinistram.* Postrema verba quid sibi velint, cuivis facilè apparet, nisi planè hospes sit in S. Scripturæ lectione: videlicet Synedrii sententiæ standum & sine ulla tergiversatione parendum esse. Quomodo se hic gerunt Rabbini? *Etiamsi*, inquiunt, *ostensa manu dextra, eam sinistram dicant, & sinistram dextram esse adfirment, tu tamen eis obtemperes:* uti in libro *Siphre* legitur. R. Salomo ita: *Etiamsi dixerit tibi de dextra, eam sinistram, & de sinistra eam dextram esse, quantò magis vero obtemperes dicenti, dexteram esse dexteram, & sinistram sinistram.* R. Gerundensis: *Etiamsi tibi persuaseris, eos errare & in oculis tuis id tam evidens appareat, quàm liquidum est discrimen inter dext[illegible] & sinistram, tamen facias oportet, quæ illi præceperint.* Et[illegible]to alii nonnulli emolire & descobinare studuerint

rint has absurditates, Lipmannus tamen antiqvum obtinet. *Etiamsi*, inquit, *dicant tibi Rabbini dextram esse sinistram, ratum erit & verum quod confirmant.* Et paulò antè: *Apparet legem à Deo* S.B *juxta cum tredecim modis argumentandi hac fini datam, ut quilibet sapiens exponeret eam pro captu ingenii sui: quin tantum quo operaretur atq; scrutaretur eam, quoad ejus fieri potest, citra pigritiem. Quod si visum fuerit Synedrio juxta legem illosq; modos colligendi, rem quandam esse mundam, erit munda: etsi alii surrexerint post eos, atq; his ipsis videatur juxta eandem legem modosq; argumentandi illam ipsam rem esse immundam, habebitur immunda.* Inter illos argumentandi modos for è & is est, quo utitur R. Abarbenel: *Omnis judex, qui judicat judicium veritatis secundum veritatem suam vel unica hora, perinde se habet, ac si ipsi DEO in opere creationis cooperetur. Hic enim scriptum est,* (Exod.18.v.13.) *Et sedit Moses ad judicandum populum à mane usq; ad vesperam: & hic* (Genes.1. v.5.) *scriptum est, & fuit vespera & fuit manè.* Ita igitur illi homines insaniunt, & evidentissimum axioma, idem non posse simul esse & non esse, abolitum eunt. Adde Cl. Hornejum *de Process. disput. cap.5.* Sed quæso unde est hæc tanta pervicacia ac improbus stupor? Non aliunde, quàm ut maximam quamque autoritatem suis magistris & Doctoribus concilient, quorum dictata pro divinis accipiantur oraculis, & tantum, quantum DEO debetur, obsequium his seductoribus præstetur. Ecce enim quæ daturus sum ex Talmud *Massechet Berachot: Dilectiora sunt verba Scribarum præ verbis Legis.* Et *Massechet Sanhedrim c.10.§3. Gravius peccatur circa verba Scribarum, quàm verba Legis.* Et in *Medresch Mischle: Etiam profanus illorum* (Rabbinorum seu Doctorum) *sermo toti legi est æquiparandus.* O os ferreum atque impudens!

Paulò prolixiùs de Rabbinorum Philosophia, aut potius ἀσοφία dixi, ut si illam cum Probabilitatis doctrina contuleris, mirificam harum similitudinem tantò faciliùs deprehendas, & eadem arrogantia ac pervicacia Probabilistas suum dogma tueri, qua Rabbinos Rabbinica placita, videas. Quem-

admodum

admodum enim Poëtæ sua carmina amant, licet à Bavio aut Mævio conscripta; ita portentosæ Probabilitatis architecti oculis suis chariorem hanc suam prolem habent, & quibus possunt ratiunculis ac scriptis suas imposturas incrustant. Primùm omnium autem Viri quidam docti ac religiosi in Gallia signum videntur extulisse pro vindicanda veritate, bonisque moribus, corruptissima Probabilistarum doctrina depravatis, restituendis. Cœpit vero majori studio novorum Casuistarum Theologia Moralis, ejusque basis Probabilitas, examinari inde ab anno hujus seculi quadragesimo tertio, quod sciam, variis ultro citroq; scriptis ea de re evulgatis, gallico latinoque idiomate. Inter hos vero morum doctrinæque moralis censores non alius quisquam majori industria, fide, accuratiorique judicio & doctrinæ præsidio hanc rem aggressus est, quàm LUDOVICUS MONTALTIUS, quisquis etiam ille fuerit, cujus Literæ Provinciales ad Amicum, vel si ita mavis, Literæ ad Amicum Provincialem, ante paucos annos gallicè latineque editæ, novisque subinde typis iterum iterumque expressæ sunt, quibus cum larva Probabilitati penitus esset detracta, uno ore & sententia plerique Archiepiscopi, Episcopi, & Clerus Gallicanus profligatum hoc dogma damnarunt, & proscripserunt: ceu pluribus videre est ex illa Epistolarum editione, quæ Anno CIↃ IↃC LIX, gallicè prodiit, & in quinque partes tributa est. Has deinceps non solùm in linguam latinam transtulit, sed etiam notis Theologicis illustravit quidam VVilhelmus VVendrockius, Salisburgensis Theologus, nomine non magis vero, quàm ipse fertur Montaltius: atque hujus VVendrockii studium cum publicè plurimùm prodesse posse existimem, mea quoque opera illud nobis in his terris latiùs innotescere volui, simulque ostendere, quàm & fallax & impium moralis Philosophiæ aut Theologiæ sit fundamentum Probabilitas, & quo pacto solidè ac piè in eo argumento quivis versari & possit & debeat. Age igitur hac de re plura dicamus.

CAP. II.

Qua causa seu occasione impulsus Montaltius Epistolas suas scripsisse videatur.

QVa vero causa aut occasione ad has Epistolas de Morali & Politica Jesuitarum Theologia scribendas impulsus fuerit Montaltius, paucis dicendum est. Per integrum penè seculum agitata in Romana Ecclesia controversia est de divinæ Gratiæ auxilio & hominis libero arbitrio: in qua dirimenda Patrum Ecclesiasticorum Princeps D. Augustinus primas tenuit, ut qui hac de re omnium eruditissimè contra Pelagianos disputasset. Tandem Ludovicus Molina admodum superbè se supra Augustinum efferre, & Romanam Ecclesiam, quæ tot annos tanti Patris ductum secuta fuerat, haut obscurè erroris insimulare cœpit. Quæ nova Theologia (ita illam ipse Molina appellat) cum ex Hispania, ubi orta erat, in Belgium transiisset, sectatores Jesuitas ibi & Academiam Lovaniensem ac Duacensem vehementer collisit, accedente etiam his Archiepiscopi Mechliniensis & Episcoporum Cameracensis ac Gandensis autoritate. Reversa inde contentio est in ipsam Hispaniam, ubi Salmanticensis Academia Lovaniensium Theologorum exemplum secuta gravi censura novam illam Molinæ Theologiam damnavit. Ventum tandem est ad Inquisitionis Romanæ tribunal, quò tanquam hæretica erat delata. Hujus tum controversiæ is fuit eventus, ut Clemens IIX. D. Augustini autoritatem majorum suorum exemplo stabiliret. Hic vero fremere Jesuitæ, ac Molinæ sui patrocinium suscipere instituerunt, frustra dehortante Cardinale Baronio, monenteque, ne ejuscemodi disputationibus Societatis existimationem in discrimen adducerent, nec opinionem ex unius privati hominis ingenio natam universa Societas defendendam arriperet, præsertim quod illa plurimorum sententiâ valdè adfinis esset Pelagianorum dogmati ab Ecclesia dudum damnato. Qua de re legi pote-

poterunt Petrus Matthæus *tom.2.lib.7.hist.Franç.* & Jacobus Fuligartius nec non Sylvester Petra Sancta; Jesuitæ, in vita Cardinalis Bellarmini *lib.3.cap.5.* Interea decedit Clemens IIX. cui successit Leo XI. paucorum dierum Pontifex. Hunc excipiens Paulus V. controversiam hanc omnem ad mentem D. Augustini decidendam esse Bulla composita sanxit: cujus promulgationem cum ille callidè differret, atque interim vetuisset, ne interea pars una alteram erroris argueret, secundum se in hac causa pronuntiatum esse Jesuitæ jactitarunt, cumprimis sibi gratulantes, quod Molinæ opinio ceu erronea non fuisset damnata. Major hinc fastus succrevit Jesuitis, ut nec D. Augustini nec illum sequentis D. Thomæ in hac materia autoritatem aut doctrinam admitterent, sed superciliosè his verbis respuerent. *Transeat Augustinus*; *Transeat Thomas*: Non tulit hunc fastum æquo animo Salmantica, sed legem scivit, & Theologiæ Doctores juramento obstrinxit, ne quidquam docerent, quod D. Augustino, aut D. Thomæ, ubi quidem de sententia illorum constaret, adversaretur, excepta opinione de Immaculata Virginis conceptione; Jam tum animo præsagiens, novum hinc aliquando extiturum Fidei articulum. Hac sanctione cum Jesuitæ suam Majestatem denuò læsam esse conquererentur, quidam Basilius Pontius, Theologiæ in illa Academia Doctor firmis rationibus ostendit, Academiam Salmanticensem ea re de Ecclesia optime esse meritam, approbato mox libello suo Romæ & Duaci à Censoribus. Cæterum, cum Clementis IIX. decretum adhuc obtineret, omnia in hoc argumento secundum D. Augustini sententiam esse decidenda, atque insuper Lessius Molinæ adsecla, qui doctissimum Patrem arrodere non erubuerat, acriter à Sixto V. fuisset castigatus; eò tandem artes suas Jesuitæ converterunt, ut omnibus modis in suum sensum Augustini verba detorquerent. Tum vero de Prædestinatione, Gratia divina, totoque Redemptionis opere, magis anceps ac dubia reddita est omnis disputatio, quam antehac unquam. Causæ hujus gravitate motus Cornelius

Jansenius, Episcopus Iprensis, viginti annorum laborem & indefessum studium, veræ Augustini sententiæ eruendæ, in hac materia impendit, eamque Christiano orbi exhibuit libro, quem eapropter AUGUSTINUM nuncupavit. Hoc itaque dum ageret Jansenius, non potuit fieri, quin Jesuitarum opiniones ac temeritatem subinde perstringeret, cumque liber ejus magno etiam applausu exceptus à quam multis legeretur, nihil non egerunt Jesuitæ, ut Jansenio ejusque libro omne pretium demerent, suamque existimationem adsererent. Ille igitur hæreticus audiebat, & impostor Calvini Spiritu repletus, cumprimis cum mortuus respondere non posset, ossaque ejus combustione digna judicabantur ab adversariis. Contra hunc Jansenii librum mox acerbissimæ Theses publicatæ sunt ab iisdem Jesuitis, quibus aliæ pro Jansenii defensione opposi æ sunt, atque rursum his ab adversariis aliæ. Romæ interea nullus non lapis movebatur à Jesuitis, ut Jansenii AUGUSTINUS censura Papali damnatus proscriberetur. Atque ita factum est Ao. M.DC.XLI. eo prætextu, quod gravi cum scandalo editus esset, quod parendum & ipsi fuisset decretis Pauli V. & Urbani IIX. vetantibus, ne quid de hoc argumento sine Sedis Apostolicæ venia scriptum prodiret. Hac de re certior factus Joannes Jansenius, Canonicus Furnensis, Cornelii Episcopi nepos, à Rege Hispaniæ contendit, ne decretum Papale in Belgio promulgaretur, donec plenius constaret, an revera Jansenii liber scandalum peperisset, atq; ea de re rectius Papa edoceretur. Belgii itaque Episcopi, hac de re consulti, tantum non omnes negarunt, ullum scandalum jure ipsi huic libro imputari posse, nihilque præter ipsissima D. Augustini sensa continere, adeoq; lectoribus non scandalum, sed eximium fructum adferre. Interim suæ causæ non defuerunt Jesuitæ, qui unà cum tribus Academiæ Lovaniensis Doctoribus, superioris Censuræ à Theologis ipsorum profectæ non amplius memoribus, tantum suis calumniis effecerunt Romæ, ut graviori nota Jansenii liber iterum proscriberetur. Hæc est illa Bulla, quam Archiepi-

chiepiscopus Mechliniensis in Belgio promulgare (absque qua promulgatione Bullæ Pontificiæ in Belgio nullam legis vim habent) detrectavit. Varia quidem contra hanc Bullam à Jansenistis tentata sunt, etiam apud Innocentium X. ut Jansenii liber debito examini submitteretur, & cum D. Augustini scriptis contenderetur, ea lege, ut si vel in unico capite Jansenius fuisset convictus, totus liber in acie Campi Floræ ultricibus flammis traderetur. Sed hi quidem frustra fuerunt. Econtrario Jesuitæ, impetrato etiam hoc altero decreto, triumphare, & in Ecclesiastica cathedra non magis ferè D. Augustino, quam Jansenio parcere, sed utrumque acerbè perstringere. Vix autem pejus audiebat Jansenius, quam in Gallia, quod autor crederetur libelli, Martis Gallici nomen præferentis. Proinde & ibi Jansenio à Jesuitis nihil non sustinendum fuit, variis maledicis scriptis divulgatis, quibus defuncti memoria magis magisque obscuraretur, nulla Bullæ Papali reverentia delata, qua non solùm pro Iansenio, sed & contra eundem aliquid procudi vetitum erat. Patronum in hac causa Iesuitæ Gallicani propudiosis adulationibus quærebant Principem Condæum, qui una cum Cancellario & Cardinale Grimaldi, Nuntio Apostolico, eò Reginam ipsam jam flexerant, ut Bulla illa Pontificia in Gallia reciperetur. Sed haut alibi majori libertate acriorique studio defensus tum fuit Iansenius, quam in Gallia, cujus Episcopis ac Theologis bene multis liber illius AUGUSTINUS, tanquam genuinus mentis Augustini interpres, fuit acceptissimus. Congregati quoque eo nomine Sorbonistæ totusque Galliæ Clerus refragati sunt Bullæ istius receptioni, ut Regina de periculis etiam atque incommodis majoribus monita ab instituto destiterit. Plenius res omnis cognosci poterit ex Rationibus Archiepiscopi Mechliniensis, quibus inductus à Promulgatione bullæ Papalis abstinuerit, viri celeberrimi H. Conringii cura apud nos editis, unde hæc contraximus.

Hæc itaque contentio videtur etiam Ludovicum Montaltium excitasse, hominem magno judicio, & in scriptis suo-

rum adversariorum versatissimum; qui tamen non satis habuit, prioribus Epistolis Iansenianam illam disceptationem de Gratia persequi, sed sequentibus aliis gravissimos, quos in sua Morali ac Politica doctrina Iesuitæ ac novi Casuistæ commiserunt, errores detexit, ut his perniciosissimis adsertionibus ac corruptelis non solùm Ecclesia sed & Politia liberaretur, & Iesuitæ tantorum errorum tam evidenter convicti aliquid de vegrandi suo fastu remitterent. Epistolæ illæ ea profectò arte, judicio, ac fide scriptæ sunt, ut non sine magna voluptate minorive fructu legi queant, adeoque legi ab omnibus veritatis studiosis impietatisque osoribus debeant.



CAP. III.

Quidnam sit Probabile, seu Probabilitas.

REctè jam à Wendrockio observatum est, sententiam de re quapiam, sive morali, sive alia, vel in se & absolutè spectari posse, vel relatione facta ad intellectũ nostrũq; cognoscendi modulũ. In se spectatæ hæ sententiæ, vel veræ sunt, vel falsæ, nulla ex his probabilis est. Nam inter Verum & Falsum absolutè consideratum nec medium datur, nec aliud quiddam ab his diversum. Proinde nec Falsum probabile, sed suâ natura penitus improbabile ac rejiciendum: & Verum plusquam probabile est, quod nihil dubii reliqvum faciat, sed sit certum. At si ejusmodi sententias ad cognoscentis acumen intellectumque nostrum examines, omnino cum summo Philosopho agnoscere ac fateri cogimur; in plurimis vespertilionum more nos hallucinari ac cœcutire, in aliis probabiles opiniones colligere, non tamen sine formidine oppositi, in quibusdam verum & falsum certò pervidere.

Protinus vero homonymia quædam hic detegenda est, quam cum Boëthius 1. *libro Comment.* in Topica Ciceronis non observasset, non leviter impegit, existimans, argumenta

Pro-

Probabilia & Verisimilia esse eadem, cum tamen hæc Sophisticæ, illa Topicæ sint accensenda. Hinc Aristoteles artem Dialecticam, quam Organo suo complexus est, traditurus, tria facit probationum genera: unum Apodicticum ac necessarium, Analyticis libris expositum: alterum Probabile, seu ἔνδοξον, Topicis libris explicatum: tertium est verisimilium & apparentium, quibus Sophistæ fallere amant, duobus Elenchorum libris comprehensum. Dialecticus enim his non utitur ad decipiendum, sed ne decipiatur, fraudibusq; Sophistarum implicetur: ut licet notitia Dialecticus non differat à Sophista, προαιρέσει tamen plurimùm ab hoc dissideat. Potest enim, sed nō vult fallere. Unde cum Aristotele rectè distingui debet inter τὸ ἔνδοξον & τὸ φαινόμενον ἔνδοξον. *Syllogismus ἐριστικός* (quo Sophistæ victoriæ obtinendæ gratia utuntur) *est, qui exstruitur ex iis, quæ videntur probabilia; nec tamen sunt: &, qui ex probabilibus, vel iis quæ videntur probabilia, videtur esse; nec est. Non enim, quidquid videtur probabile, etiam est probabile.*

Quænam igitur reverà sunt Probabilia? Ex Aristotelis quidem sententia dicuntur esse ἔνδοξα, τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς. καὶ τούτοις, ἢ τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisq; vel sapientibus: atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis ac claris. 1. Topic. 1.* Ejusdem libri *capite 10.* explicaturus quid sit Propositio Dialectica, ita docet: Ἔστι πρότασις διαλεκτικὴ, ἐρώτησις ἔνδοξος, ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς. Καὶ τούτοις, ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, μὴ παράδοξος. *Propositio dialectica est interrogatio probabilis, quæ vel omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his etiam vel omnibus, vel plerisque, vel maximè celebribus probetur; modo non sit παράδοξος, communi hominum opinioni repugnans.* Hîc itaque posteriori membro quædam adjicitur limitatio, illud videlicet ἔνδοξον, quod celebribus quibusdam autoribus probetur, non debere esse παράδοξον v. gr. Omnia esse unum, quod Parmenides olim venditabat: Hinc

mox

mox addit Aristotelis: Θείη γὰρ ἄν τις τὸ δοκοῦν τοῖς σοφοῖς, ἐὰν μὴ ἐναντίον ταῖς τῶν πολλῶν δόξαις ᾖ. *Concesserit enim quispiam, quod videtur Sapientibus; nisi contrarium sit opinionibus multorum.* Eadem quoque repetit ejusd.l.c. 14.

Ex hac τῶν ἐνδόξων descriptione Aristotelica facilè apparet Probabilitatis complures esse gradus. Plurimum certè Omnium aut Plerorumque consensui est tribuendum, cumprimis si illi Omnes aut Plerique sint Sapientes.

At tanta Probabilitas non est adsertionum à Paucis, aut Uno, quamvis Sapientibus, aut Sapientissimo credito profectarum. Quis nescit quanta autoritas fuerit Pythagoræ? Interim quando ille περὶ μετεμψυχώσεως seu παλιγγενεσίας delirat; mereturne tyrannide quadam extortum adsensum, si quis inclamet, Αὐτὸς ἔφα? Plato quando rerum communionem in sua somniat Republ. debetne Θεῖος haberi? Estne probabilis sententia nihil moveri, nivem esse nigram, ignem non urere? quod tamen visum fuit etiam iis, qui Philosophorum nomine insigniti sunt. Sed jam tum cognovimus, tales sententias ut probabiles tum demum haberi posse, nisi παράδοξον quid præseferant.

Docet præterea Aristoteles *1.Topic.10.* quædam simpliciter esse Probabilia, de quibus modò dictum est: quædam vero, quod similia probabilibus sint aut reddi possint, pro ἐνδόξοις accipi ac numerari. Ita Probabiles reddi possunt, comparatè, seu propter aliud, quædam propositiones, ob similitudinem. Ita simpliciter probabile est. Eandem esse contrariorum scientiam. Quia vero Scientiæ quodammodo similis est Sensus, (ut enim Scientia ad scibile, ita Sensus se habet ad objectum sensibile) hinc etiam probabile redditur, Eundem sensum esse contrariorum. Ita probabile redditur, unum esse habitum Musicæ, similitudine Grammaticæ, cujus uno habitu Grammaticus aliquis esse dicitur.

Deinde propositionum, quæ probabilibus contrariæ sunt, vel ratione subjecti, vel ratione prædicati, contradictoriæ, fiunt ipsæ quoque probabiles. Ita huic propositioni probabili;

De

De amicis est bene merendum, ratione subjecti contraria est hæc, De inimicis est benè merendum; ratione autem prædicati, ista, De amicis est malè merendum: harum ergo duarum posteriorum contradictoriæ erunt probabiles, De inimicis non esse bene merendum: Et, De amicis non esse malè merendum.

Probabiles quoque fiunt propositiones, per contrariorum consecutionem, quò idem etiam exemplum Aristoteles accommodat. Ut, quia probabile est, De amicis bene esse merendum; probabile quoque fit, De inimicis male esse merendum.

Denique Probabilia fiunt, quæ autoritate artificum & professorum in quaque disciplina rata habentur ac probantur: ut in Theologicis disputationibus, quæ approbant Theologi: & in Medicis quæ Medici pro veris habent; aut in Geometricis, quæ à Geometris approbantur. Ἔνδοξον enim est, cuique in sua arte credendum esse. Horum quidem probabilium exempla apud alicujus autoritatis doctores reperire facile est.

Hæc ita ab Aristotele differuntur, non sanè eo fine, ac si omnino tutò quis ejusmodi propositionibus inniti queat, cum manifestum sit, quam lubricæ multæ ac fallaces sint; sed ut Dialecticus in Philosophum feliciter evasurus, & de variis argumentis more veterum promptè per interrogationes ac responsiones disputaturus copiam habeat talium propositionũ, delectumque habeat earum, ut maximè probabilibus utatur. Proinde vult, ut si non suppetant propositiones simpliciter probabiles, quæ probentur opinionibus omnium, aut plurimorum, aut sapientum; horumque aut omnium, aut plerorumque, aut maximè celebrium: tum adsumendas esse illas, quæ fiunt probabiles vel propter contrariorum contradictionem, vel consecutionem: aut propter fidem alicujus præclari artificis, aut propter rerum similitudinem, ejusque generis alia.

Ex his jam apparet, alia esse revera ἔνδοξα, alia esse φαινόμενα ἔνδοξα, alia ἐνδόξοις similia esse, atque pro ἐνδόξοις haberi, ho-

rumque omnium varios esse Probabilitatis gradus. Cæterum uti Aristoteles quidem propriè dicta ἔνδοξα describit, duplex oboriri possit scrupulus. Primò enim si probabilis est propositio, quæ ab omnibus, aut plerisque, aut ab omnibus sapientibus approbatur, quid fiet de ipsis principiis? quid de principiorum habitu, quem ille Νοῦν appellat? quæ tandem erit ἀπόδειξις aut Scientia? Deinde si ἔνδοξα ab Aristotele descripta ad consensum & autoritatem adeoque ad locum Testimonii referenda sunt, quæritur qualia sint ἔνδοξα, quæ ex reliquis quamplurimis Dialecticæ classibus peti solent, atque ab eodem Philosopho in suas sedes digesta sunt, sintne aliûs generis, an prorsus ejusdem. Posterius sine dubio locum non invenit; quid enim reliqua mole opus fuisset? Si prius obtinet, quæritur, quomodo Probabilibus ex reliquis locis Dialecticis arcessitis data descriptio quadret?

Prius dubium quod attinet, in progressu illud iterum tangemus, accuratiori discussione Logicis commendata: alterum vero plenius paulò à nobis explicandum erit.



CAP. IV.

De Scientia, Opinione & Fide.

QVicquid Mens nostra ratiocinando colligit, vel Scientia est, vel Opinio, secundum Aristotelem. Præter hæc duo tertiumne sit ab his distinctum variè à Logicis disputatur. Recentiores enim addunt Fidem: de qua Aristoteles in Organo suo nihil peculiariter aut disertè tradit, in Rhetoricis verò illius quod περὶ πίστεως differitur, paulò aliter se habet, cum non solum argumenta probabilia, sed & alia ad fidem faciendam idonea sint, pluraque Rhetoricæ propria ibi considerentur. Interim ut quædam inter ἔνδοξα, ab Aristotele descripta, & reliqua Dialectica argumenta, differentia appareat,

reat,

reat, postulo mihi concedi tria esse, quæ Mens nostra ratiocinando apprehendat, Scientiam, Opinionem, & Fidem. Hac enim hypothesi admissa commodissimè reliqua deinceps disputatio expediri poterit. Nec puto adversariorum quenquam ea in re difficilem futurum, modo meminerint plurimos sui gregis Philosophos ita docere. Ex iis unus Antonius Rubius Rodensis, in Provincia Mexicana, ubi Jesuitæ Collegium habent, nec non Domum Professam, quam vocant, Professor Regius, scripsit Logicam Mexicanam, eamque, uti ipse in Præfatione ad Lectorem profitetur, potissimum Societati Jesuiticæ consecravit: Is eandem hypothesin non solùm admittit, sed etiam, quòd conclusionis ipsi loco esset, multis comprobat ac confirmat.

Singula hæc quid sint, Scientia inquam, Opinio, & Fides, jam erit dicendum. Priora duo quid differant, eleganter tradit Aristoteles *1. post. Anal. c. 30.* Etsi igitur Scientia & Opinio de eadem re esse possint, quamvis non simul & in eodem subjecto, non tamen idem est τὸ ἐπιστητὸν & τὸ δοξαστὸν, neque idem est ἐπιστήμη & δόξη. Modus enim cognoscendi per Scientiam & per Opinionem valde est diversus. Scientia enim triplicem requirit necessitatem, cumprimis πρώτως ita dicta. Primò itaque exigit necessitatem objecti, ut res scibilis sit immutabilis & necessaria: Deinde necessitatem subjecti, ut animus scientis sit ἀμετάπτωτος, certus & constans in sua cognitione: Denique necessitatem medii, ut sciat rem per necessariam causam. Illud enim demum est Scire, *causam cognoscere, propter quam res est, & quidem ejus rei caussam esse, nec posse eam aliter se habere*, inquit *1. post. anal. c. 2.* Qua descriptione hoc vult, primò ut cognoscatur causa rei, seu ut medius terminus demonstrationis sit causa conclusionis: deinde ut ea causa conferatur cum effectu, ita ut sciamus eam esse causam conclusionis: postremò ut sciamus, conclusionem ita necessariò se habere, nec posse aliter se habere. Primum & secundum in re ipsa, postremum in animo demonstrantis spectatur. Hæc verò triplex necessitas in Opinione locum non habet. Primo

enim versatur circa objectum ἐνδεχόμενον, non necessarium, sed quod aliter atque aliter se habere potest. Deinde etsi animus opinantis ad alteram contradictoriarum magis propendeat, plerumque tamen formido oppositi adsensum moratur ac turbat. Atque hoc ipsum inde accidit, quod tertia etiam necessitate destituatur, & rem non ἀποδεικτικῶς sed διαλεκτικῶς & δογματικῶς solùm cognoverit. Mitto reliquas differentias, quas d.c.30. subtiliter inculcat, quod jam traditæ nostro instituto sufficere videantur.

Hic vero quis mihi illa objecerit, quæ Philosophus tradit *7.Nicom.3.§.11.seqq.* his verbis: *Nonnulli eorum, qui aliqua de re opinantur, prorsus nihil dubitant, sed se rem exquisitè scire existimant. Quod si ii, qui opinantur, propterea quod leviter & remissè credunt, ita rem esse, de qua opinantur, facilius, quam qui sciunt, contra, atq; existimant, agent; nihil inter Scientiam & Opinionem intererit. Nonnulli enim non minorem fidem habent iis, quæ opinantur, quam alii iis, quæ sciunt.* Idque comprobat exemplo Heracliti, qui omnia sua decreta, etsi opinione non scientia niti diceret, tamen tam pertinaciter tuebatur, & vera esse credebat, quam alii Philosophi, qui scire se sua dogmata dicerent. Hæc ergo ut concilientur, facilè Scholasticorum illam distinctionem admitto, qua Formidinem faciunt duplicem, unam Radicalem seu Aptitudinalem, alteram Actualem. Istam non consistere dicunt in reali aliquo timore seu dubitatione, sed in eo solùm, quod medius terminus, quo Opinio utitur, aut ejus objectum propter contingentiam ea sit conditione ac natura, ut ei non repugnet subesse falsum. Atque hæc Formido Radicalis dicitur, quia radix est & origo actualis. Hinc enim sæpè evenit, ut opinans actualem timorem habeat de veritate oppositæ partis, & falsitate ejus, cui jam adsensum applicat, quia vel contingens est, vel per medium probabile atque contingens ei adsentitur. Sæpe hoc evenire dixi, non semper; Proinde quando Opinionem semper cum formidine oppositi conjunctam esse dicimus, de Radicali formidine hoc solum verum est, quæ licet sæpè etiam Actualem pariat, multi

multi tamen suarum opinionum adeò tenaces sunt, ut vix quisquam verè philosophus suæ scientiæ.

Præterea si varios opinandi modos expendamus, deprehendemus, Opinionem non solum circa contingentem, sed & necessariam propositionem versari, idque vel per medium probabile, ut tale cognitum, vel per medium revera probabile, sed pro necessario putatum & arreptum. Posterius ubi contingit, sanè qui ita opinatur de veritate suæ conclusionis nihil dubitat, nec ullam actualem formidinem habet de veritate oppositæ. Discrimen itaque Scientiæ & Opinionis non solum à conditione objecti necessarii & contingentis, nec solum ex parte medii adsentiendi secundum se sumpti petendum est, sed etiam ipsum subjectum, sciens & opinans, inspiciendum est. Accidit enim, ut quispiam ex præmissis necessariis, per medium item verè necessarium seu ἀποδεικτικὸν conclusionem colligat, nec tamen scientiam illius habeat, sed duntaxat opinionem. Ratio est, quod vel præmissam verè necessariam, vel medium verè necessarium pro probabili reputat. Hinc Opinio à nonnullis definitur cognitio, vel adsensus rei contingentis aut necessariæ per medium verè probabile, vel *ut tale* existimatum genitus.

Quemadmodum igitur Scientia & Opinio potissimùm certo & incerto differunt, ita Fides ab his aliquid videtur esse distinctum, quod rationes seu media Fidei, quibus cognitio & adsensus evincitur, formaliter differant à mediis & rationibus Scientiæ & Opinionis. Quod ut eò rectiùs accipiatur, notandum est Fidem esse duplicem; Divinam & Humanam. Divina fides à Scientia differt specie, propter diversum adsentiendi medium à divina autoritate petitum. Ab Opinione differt eadem Divina Fides, ut ab incerto seu dubio certum & infallibile. Humana Fides à Scientia quidem differt, ut incertum abs certo: at hactenus ab Opinione non differt; nam & Opinio & Fides Humana ita sunt comparatæ, ut iis falsum subesse possit. In eo tamen Opinio & Fides Humana distant, quod ista ratione probabili, hæc fide digni hominis testimonio seu



autoritati innitatur. Hæc itaque tria, Scientia, Fides, Opinio, aliquid habent commune, & aliquid proprium. Commune illis est, quod ad producendum adsensum facultatem singulæ habeant: differunt autem in modo adsentiendi, & ad hoc proprio singulæ medio rationeque utuntur.

Fidem Divinam diximus esse infallibilem ac semper certam. Quodipsum vix quenquam in dubium vocaturum esse existimo. Nam quod DEus dicit verum est; ut qui sit ipsa Veritas. *Joh.14.v.6.* Præterea quod Sacra Scriptura Canonica comprehensum est, est illud ipsum Verbum Dei: adeoque hoc omne verum est, sive fidem sive mores concernat. *2. Pet.1. v. ult.* At Fides Humana multis modis fallere potest, & incerto mirificè obnoxia est. Hinc Apostolus tali oppositione utitur ad *Rom. 3. v. 4.* ὁ Θεὸς ἀληθής, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης, *DEus semper verax, omnis vero homo mendax.* Quinimo ipsa Humana Fides infinitis gradibus variat, ut modò majus modò minus incertum, aut incerti periculum ac metus subsit, prout alius homo alio fide vel majori vel minori dignus est. Quid quod alii sæpe falluntur & fallunt aliquo cœcutientis intellectus errore: alii etiam malo animi proposito & consilio: quibus temere fidem tribuere, præsertim in moralibus, admodum est periculosum, cumprimis si aliunde certior esse possis; sic enim cum aliena tum sæpe etiam tua culpa modo faciendo, quæ Jure Naturæ aut à Deo vetita sunt, modo omittendo, quæ facienda iisdem autoribus jussa sunt, conscientiam saucias, teque peccando pœnæ criminis obnoxium reddis.



CAP. V.

De pia adfectione Voluntatis.

DE motu Voluntatis quando Scholastici disputant, quomodo illi membra externa, quomodo appetitus sensitivus

vus pareant, disquirunt etiam, quomodo Intellectus operationes eidem obsequantur, nec ne. Duplici igitur ratione illas Intellectus energias Voluntati parere ajunt, vel quoad exercitium illarum, vel quod ad specificationem. Ratione Exercitii omnes Intellectus operationes sunt voluntariæ ac liberæ; ut enim quadraturam circuli contempleris, nec ne, Oceani reciproci fluxus causas investiges, nec ne, tui est arbitrii ac voluntatis. Quo pacto vero se res habeat ratione Specificationis, tum recte cognoscetur, si intellexerimus, quid in Schola ipsorum nata hæc ῥῆσις sibi velit. Quando igitur Intellectus veritatem rerum inquirit, & per genuinas causas adsensum vero applicat, aut per æquè legitimas causas falsum fuerit detectum, eoque nomine dissentiat, tum Intellectus aut operationum illius Specificationem fieri dicunt. Jam vero ejusmodi Intellectus adsensus vel apodicticis rationibus evincitur, & ille Specificus Intellectus actus Voluntati non subjacet; nec enim tui est arbitrii, sententiam ejus generis argumentis extortam repudiare, aut ejus aliquam ἐποχὴν in mente librare. Quinimo cum nonnunquam accidat, ut Intellectus verè apodicticis rationibus ad assentiendum aut dissentiendum non constringatur, sed aliis, quæ tamen pro talibus arripiantur, ne tum quidem actus ille specificus Intellectus voluntati paret. Cæterum quando Intellectus necessariis causis convictus non est, aut saltem se non convictum esse existimat, adsensum suum vel dissensum liberè vel suspendere, aut simpliciter adsentiri aut dissentire pro arbitratu suo poterit. Proinde illis adsertionibus aut sententiis, quæ ἑκατέρωσε disputantur, & probabilibus rationibus suffulta sunt, adsensum vel damus liberè, vel negamus: aut, si ita visum fuerit, adsensum vel dissensum potius suspendimus. Quia igitur, ut ostensum est, Opinio & Fides humana non necessariis ac evidentibus demonstrationibus innititur, liberè Intellectum Voluntas nō solum ad exercitium movet, sed etiam ad specificationem. Atque hæc quoque locum inveniunt in materia practica, modo observentur Regulæ à Thoma aliisque rectè sentientibus cir-

ca

ca doctrinam de Conscientia traditæ, & quæ à nobis infrà dicentur cap. IX. His ita positis, non jam meis sed Antonii Rubii verbis protinus perspicuum fiet, qua in re *pia Voluntatis affectio* consistat. Ita igitur ille *Tractat. de Habitib. Observandum est, actum voluntatis, per quem voluntas intellectum applicat ad adsensum Opinionis aut Fidei, duplicem esse. Unus est simplex quadam electio, per quam ratione vel autoritate præsuppositis voluntas eligit potius credere, vel probabiliter assentire, quam discredere vel dissentire, aut operari circa objectum harum cognitionem, quam operationem suspendere: ita ut in tali electione non moveatur potius ex majori affectu, vel inclinatione ad unam partem, quam ad alteram, sed solum ex majori vel minori convenientia objecti, vel certè à propria libertate. Alius est actus electionis quidem liberæ, in quo potius voluntas movetur ad determinandum intellectum ex affectu ad unam partem, quam non habet erga alteram. Unde solet procedere, quòd hanc potius opinionem quispiam sequatur, quàm alteram, quia magis erga Patronum ejus afficitur, & motus voluntatis ex hoc affectu procedens vocari solet* PIA AFFECTIO VOLUNTATIS. Cum vero Jesuitarum rationes ita sint comparatæ, ut Socius Socium quo jure quave injuria defendat ac tueatur, hinc pia Voluntatis affectione ad impios sæpè errores corroborandos illos abuti, passim in illorum Theologia Morali deprehendas licet.



CAP. VI.

An Probabilitas in Moralibus locum habeat? qua occasione primùm de Materia Morali agitur.

EX superioribus, ni fallor, liquidum est, quid sit Probabilitas, seu quæ argumenti probabilis vis sit, sive ab autoritate & testimonio alicujus hominis arcessita, sive argumenti

Diale-

Dialectici, Opinionem parere idonei, ope obtenta. Sequitur jam ut ostendamus, An Probabilitas in Moralibus locum habeat: deinde siquidem hoc concessum fuerit, quanta ejus sit latitudo. Hac de re ut rectè statuamus, primò omnium moralis objecti natura ac conditio investiganda est, sitne necessaria, an contingens. Objectum igitur morale sunt Actiones humanæ, quæ sanè in se & absolutè spectatæ, propter libertatem, qua in agendo gaudent homines, sunt contingentes. Sed cum DEus hominem non voluerit vagam agere vitam, adeoque quod libeat non protinus liceat, certum finem illi præfixit, ad quem vitam actionesque suas componeret: absque quo si foret, hoc absurdum sequeretur, Appetitum, proximũ agendi principium, homini à Natura frustra esse tributum. Quæcunque igitur actiones ad finis istius consecutionem per se faciunt, ad illas persequendas, tanquam sua natura honestas justasque nos obligatos esse existimabimus: è contrario, quæcunque actiones viam ad illum finem consequendum obstruunt eique officiunt, suaque natura adversantur, ad eos, tanquam turpes suaque natura injustas, fugiendas nos obligatos esse existimandum est. Cum vero operationes hominis non sint unius generis, hinc illarum etiam non unus est finis. Nos jam solùm de tribus Finibus aliquid dicemus, quorum duo Natura, tertius per Revelationem gratiosam nobis notus est. Si enim præstantissimam hominis partem, Mentem, consideres, Finis illius est Theoria rerum divinarum ac cœlestium, præsertim ipsius Dei. Si vero eundem cum Aristotele consideres ut ζῶον πολιτικόν, Finis illius eodem Autore rectè statuitur, εὐπραξία, operatio ex virtute. Quod si hominem consideres, ut Christianum & renatum, diversissimus & prioribus multò sublimior ac perfectior est, Vita æterna. Ratione postremi hujus Finis, & quatenus renatus est, à Casuistis & Theologiæ Moralis Doctoribus Homo considerari solet. De his Finibus jam non prolixè ac operosè dicam: fiet id aliàs, si Deus otium & vires concesserit. Hæc duo modò tangam. Si Homo ut renatus consideratus fuerit, & de illius actionibus

quæratur, quales esse debeant, ut iis ἀνεμποδίστως ad vitam æternam pervenire possit, ubique ferè evidentissimis demonstrationibus doceri regique potest. Petuntur enim ex ipsius Dei infallibili Verbo; peti certè debent & possunt. Nec interest, disertisne verbis vitæ Christianæ regulas invenias, an per legitimam consequentiam eruas; nisi forte, quod posterius hoc non ita facilè ac promptè in quibusvis casibus à quovis expediri possit. Interim quotiescunque de hominis Christiani & renati, quà talis, vita moribusq; quæstio est, hæc, quam dixi norma tenenda est, cui profectò nec Humana Fides nec ullũ probabile argumentum præponi sine piaculo potest.

Quòd si cum Aristotele Hominem ut ζῶον πολιτικὸν supponas & consideres, & quæras qua norma rationumque robore illius actiones ad finem suum politicum, hoc est εὐπραξίαν, adstringantur, non profectò cum vulgo sentire debemus, nihil hac de re nisi solùm probabiliter dici disputarive posse. Hoc enim quàm falsum sit mox ostendam. Primùm vero hoc Casuistis aliisque Theologiæ Moralis Doctoribus opponere possum, optimas vivendi regulas Homini etiam civiliter considerato in Lege Mosaica aliisque S. Scripturæ Canonicis libris esse præscriptas: de quibus prorsus idem sentiendum, quod paulò antè de norma actionum hominis renati, ut talis, prontiatum est: videlicet rationes ab humana fide petitas aut qualibuscũq; argumentis, potissimũ merè probabilibus, suffultas, testimoniis & oraculis divinis omnino esse postponendas.

Sed, etiamsi S. Scripturam Canonicam seponas, sôloque Naturæ lumine confisus rerum practicarum veritatem inquiras, non solùm hoc non erit frustrà, sed de plurimis planè ἀποδεικτικῶς certus esse poteris, modo ne sis ita improbus, ut qui ipsa principia à reliquis mortalium, tali improbitate non infectorum consensu comprobata, rejicias. At dicat quis, hoc videri παράδοξον, quandoquidem ipse Aristoteles Scientiam dicat esse rerum necessariarum *6. Nicom. 3. §. 4. seqq.* cum ego suprà dixerim, philosophiæ moralis materiam, videlicet actiones humanas morales, esse contingentem. Primò itaque, ut

huic

huic objectioni occurratur, repetendum hic est, Contingens dici tripliciter: rarò, æqualiter & plerumque contingens. Raro contingens est, piscatorem aureum ex aquis tripodem extrahere. Æqualiter contingens dicitur aliqua propositio, cujus prædicatum ita est comparatum, ut non magis subjecto inesse velit, quàm non inesse, seu, quod ita de subjecto dicitur, ut non minus aliud prædicatum æquè aptum sit de eodem subjecto dici. V. gr. Hic homo ambulat. Plerumque contingens propositio dicitur, cujus prædicatum mavult inesse subjecto, quam non inesse. Tales sunt plurimæ Legum naturalium propositiones, veluti, Depositum est reddendum, Promissa sunt servanda, Homo hominem ne lædat, Magistratui & Parentibus mos est gerendus, ejusque generis aliæ. Quidquid enim in his, iisque similibus propositionibus, prædicatur, sua natura cum subjecto mavult cohærere, quàm ab eo divelli. Proinde licet actiones humanæ in se sigillatim spectatæ sint contingentes, naturalem tamen obligationem, cui obnoxiæ sunt, si videas, hactenus nonnunquam sunt necessariæ aliç, aliæ contingentes utplurimum. Hactenus inquam; nam ne sic quidem libertatem velim sublatam. Non enim, ut suprà dixi, qualibuscunque actionibus ad ultimum finem civilem pervenire possumus, sed certis duntaxat & ad illum accommodatis. Unde vero modum & normam capiunt illam actiones nostræ? A Legibus Naturæ, quarum autor Deus est: unde apparet, à quo, & quantam obligandi vim habeant. Hæ vero Leges vel sunt Communes vel Speciales. Istas appello, quæ obligant omnes & singulos in genere & societate humana viventes. Hæ vero obligant non omnes omnino, sed in specialiori aliqua societate degentes. Ita ad officia paterna non est obligatus, nisi qui pater sit: ad officia maritalia non est obligatus, nisi qui maritus sit: & sic deinceps. Cæterum cum nulla Lex cum effectu obliget, nisi facta illius fuerit promulgatio; quæritur porro, quando Leges Naturæ promulgentur? Hic primò illud monendum fuerit, nonnullos, quando Legum Naturæ mentionem faciunt, ad autorem respicere, &

per Naturam intelligere Deum Legislatorem. Non malè. Ego verò malim Leges Naturæ ita accipi, quæ naturæ humanæ ejusque actionibus sint latæ. A Deo enim vim obligandi, quæ his Legibus inest, aptam esse, nihilominus paret, quod supra homines in universum, qui illos sibi Legibus adstringat, Deo nemo sit superior. Talis enim utique Legislator esse debet ratione illorum, quibus leges suas fert. Quæ jam est Natura nostra? sine dubio Ratio. Præter hanc enim quas habemus alias facultates non certè nostræ sunt, sed communes, partim cum animalibus, partim cum vegetativis rebus. Homo vero quamdiu est, vivit. Vivere est operari: ita quidem ut tum demum Homo se intelligat vivere, eaque re gaudeat & lætetur, si operetur, *9. Nicom. 9. §. 27. seqq.* Nihil verò æquè incumbit homini quàm ut vivat vitam humanam, hoc est, Naturæ suæ consentaneam. Hæc Natura, uti dixi, est Ratio. Benè itaq; hactenus dixerunt Stoici, secundum Naturam vivere, Convenienter naturæ vivere, Naturam sequi, DEO parere, DEum sequi, DEo assimilari, esse prorsus idem. Cæterum cum Ratio sit naturalis in homine facultas, eaque alii rectè utantur, alii abutantur, illa propositio, debere nos secundum naturam seu rationem vivere, non ita promiscuè est accipienda. Etsi enim hæc Facultas Naturalis ita sit comparata, ut se habeat ἀδιαφόρως, & ad bonum & malum æquè sit comparata; hoc tamen ita demum verum est, si hominum arbitrium spectes, quorum alii liberè agunt benè, alii liberè male. Sed hoc perpendendum est. Omnem Facultatem à Natura datam esse ad certam operationem seu munus perficiendum. Ita ergo se quoque habebit Ratio. Hujus munus vel est Contemplatio, vel Actio, vel Effectio; unde alia solet dici Ratio Theoretica, alia Practica, alia Effectiva. Jam vero Facultas Rationalis nunquam suo munere rectè fungetur, nisi omne suum studium & curam ad hos fines conferat. Industria igitur opus est. Ea inquam, qua certa qualitate Rationem imbuas ac perficias, quò promptè, commodè ac cum voluptate munus quodque suum absolvat. Hæc qualitas & perfectio

Ratio-

Rationis, Virtus illius dicitur. At cum diversa sint Rationis munera, hinc quoque diversis habitibus seu virtutibus instruenda ac perficienda est. Et quidem Theoreticâ, Sapientiâ, Scientiâ, Intelligentiâ: Practica Prudentiâ: Effectiva Arte. Atque tum Ratio dicitur meritò Recta. Nos vero jam, quando de Legibus Naturæ loquimur, unicè Rationem Practicam considerabimus. Illarum itaque promulgatio fit cuique homini, quamprimum quisque homo aliquid incipit intelligere, quod in vita vel sequi vel fugere oporteat, seu, quamprimum usus illius Rationis se explicare incipit. Quæ sanè Rationis scintillatio & explicatio uti magis educatione & debita adsuefactione adjuvatur (id quod fieri necessum est) usumque suum diffundit, ita indies aliæ atque aliæ leges ipsi innotescunt, juxta quas vitam moresque componat: quæ cum facienda suâ naturâ honesta jubeant, fugienda suâ naturâ turpia vetent, agnoscit paulatim plurima, multa protinus, quæ observare debeat, & ubi vel omissione vel facto delinquere, Legesque naturæ temerare queat.

Fusiùs paulò hæc explicanda fuerunt, ut appareat, quomodo Actiones humanæ Scientiæ Moralis subjectum sint, ut non in se & absolutè spectentur, sed cum nexu Obligationis, quales eas esse Leges Naturæ velint: atque hactenus dixi materiam illius Scientiæ partim esse necessariam, partim contingentem ut plurimum. Necessitatem ego intelligo (nam iterum hoc monendum est) obligationis. Hinc plurimæ actiones, quæ sua natura illicitæ sunt & turpes, nullo casu aut tempore possunt reddi licitæ saltem, nedum honestæ. Ita Adulterium nunquam potest reddi licitum, quemcunque etiam comminisceris singularium concursum aut varietatem; quamvis olim secus (malè tamen) senserit Eustratius, qui non semel docet, Tyranni interficiendi gratia cum ipsius uxore licitè quem posse consuescere. Idem de Furto & aliis similibus statuendum est. Nam quod nonnulli de Vasis Ægyptiorum ab Israëlitis Dei judicio & jussu absportatis objiciunt, alienum est, cum minimè sit Furtum. Hinc non dubitavit ita

ſcribere ſummus Vir Philip. Melanchchton Epiſtola Enarrationibus ſuis Ethicis præmiſſa: *Contumelia eſt adverſus DEum, lucem diſcernentem honeſta & turpia, inditam mentibus noſtris divinitus, ſeu principia practica & demonſtrationes practicas velle delere, ſublata certitudine. Non dicas falſum teſtimonium, inquit vox divina. Non delectemur corruptelis veritatis, nec quæramus præſtigias ad eam eludendam. Eſt omnino vera aliqua doctrina, & certa de moribus, exſtructa ex illa luce, divinitus inſita humanis mentibus, ſeu ex Legibus Naturæ. Ut mens ipſa ſua luce cernit hanc propoſitionem veram, certam, & immotam eſſe, Bis quatuor ſunt octo; ſic vera, certa & immota eſt hæc ſententia, Adulterium eſt turpe & vitandum.* Etſi vero Philippus videatur præſupponere Notitias congenitas, atque hactenus nos nondum habeat conſentientes, de certitudine tamen demonſtrationum moralium rectè ſtatuit. Revoco mihi jam in memoriam, ſi quis ita argumentetur, Quidquid ſua natura turpe eſt, illud vitari oportet, Adulterium, Furtum, &c. talia ſunt, Ergo hæc vitari oportet; reſponſum mihi olim eſſe, non eſſe hanc demonſtrationem; Intemperantem enim & Avarum non admiſſurum eſſe Minorem. Imò vero non hoc ſolùm concedo, ſed addo, illum neque Majorem admiſſurum eſſe. Ecqua enim vis ſit Habitus vitioſi, ſi ignoras, cedo Magiſtrum? Ille ita ſcribit *6. Nicom. 12. §. 33. Pervertit & depravat judicium rationis vitioſitas, efficitq́ue, ut de principiis actionum falſum judicemus.* Idem docet *eod. lib. cap. 5. §. 16. & 7. Nicom. 8. §. 12.* Si ergo quis vitioſus circà ipſa principia cœcutiat, quid quæſo mirum eſt, quod ejuſmodi demonſtrationes ex talibus principiis collectas admittere iisque adſentiri nolit? Bene igitur docet idem *1. Nicom. 4. §. 12. ſeqq. Qui de rebus honeſtis & juſtis, &, ut uno complectar verbo, de civilibus auditurus eſt, eum oportet eſſe more & conſuetudine recte ductum.* &c. Quemadmodum enim alia Principia ſenſu aliove modo cognoſcuntur, ita Principia Practica ἐθισμῷ τινὶ certa debitaque adſuefactione. Ceu ex eodem diſcimus *1. Nicom. 7. §. 56.* Non igitur ejuſmodi hominum judicia morari debe-

debemus, sed ad illa attendere, quæ bene educati, & omnino Vir aliquis bonus, de his sentiant ac judicent. Quod enim normæ ac regulæ vicem sustinere debet, rectum sit necesse est. *Ut enim corporibus bene constitutis salubria sunt ea, quæ revera talia sunt: morbosis autem & ægris alia: itemq́; amara, dulcia, calida, gravia, & cæterorum unumquodq;. Nam verè de singulis rebus judicat vir bonus, & ei statim, quod in unaquaq́; re veri est, elucet. Ex animscujusque enim habitu honesta & jucunda finguntur. Atq́; eo ipso fortasse longè præstat reliquis vir bonus, quod singulis in rebus verum perspicit, quasi earum norma sit ac mensura.* Verba sunt Aristotelis *3. Nicom. 4. §. 9. seqq.* qui in eandem sententiam disserit etiam *1. Nicom. 8. §. 24. 9. Nicom. 4. c. 9. 10. Nicom, 5. §. 43. & c. 6. §. 17.* Præterea etiam Jura naturæ hinc facilè cognoscuntur, si inspicias cujusque Societatis Naturalis finem. Cum hoc enim quæ congruunt, & ad eum obtinendum necessariò requiruntur, certò tibi persuadeas, illa Jura Naturæ esse, & ad illorum te observationem obligatum statuas, siquidem in illa societate vixeris. Quæ vero actiones isti fini per se ac semper adversantur, eumque pervertunt, eam Juribus naturæ ejus societatis repugnare certum est. Jam vero est communis aliqua societas hominum, & cognationem quandam inter nos Natura constituit, inquit JCtus Florentinus, cujus Societatis finis est Bene ac feliciter vivere; Si igitur ipso usu & experientia deprehendimus, non nisi actionibus Justitiæ, Temperantiæ, Liberalitatis, Fortitudinis, Mansuetudinis aliarumque virtutum hunc finem obtineri posse, hæ actiones uti Juribus Naturæ, quibus hæc universalis societas constituta est ac continetur, consentaneæ sunt, ita erunt sua natura honestæ justæque. Quod si eadem experientia convincimur, contrariis actionibus vitiorum illum finem perdi ac corrumpi, certissimi esse possumus, tales sua natura turpes & fugiendas esse.

Percepimus ex jam dictis, quo pacto Scientiæ Moralis materia partim sit necessaria, quando videlicet Principia illius, Leges inquam Naturæ, ita universaliter omnique tempo-

re

re vera sunt, ut nunquam contingere possit, ut actio humana, quæ his conformari debet, si quam ab illa norma & principio diversitatem habeat & ei repugnet, à peccato excusari aut absolvi queat. Præter talia verò Principia sunt etiam alia, quæ plerumque etiam actiones sibi volunt esse conformes; accidit tamen nonnunquam & propter singularium varietatem contingere potest, ut obligatio talis legis cesset, ac propter alius & majoris ferè præcepti obligationem, actio ab illius Legis utplurimum obligantis norma recedens, non solùm non sit licita, sed nisi ita faciat, & superioris præcepti obligationi se accommodet, à peccato non sit futura immunis. Exempla jam supra dedimus, sed nondum explicavimus. Plerumque subditi & liberi obligati sunt, ut Magistratui & Parentibus morem gerant; sed hæc obligatio interdum cessat. Si enim aliquid jusserint quod Deo, quod Patriæ saluti manifestò repugnet, mos iis sine peccato non geretur. Talis quoque est illa Legis naturalis propositio, Homo hominem ne lædat. Malefici enim, facinorosi, invasores omnino excipiendi ab illa sunt. Imò tantum abest, ut hi non possint lædi, ut aliquando ne quidem lædenti resistere illis fas sit, etsi aliàs defensio sui Juris dicatur naturæ. Unde illud axioma natum fuit: *Ubi offensio est licita, ibi defensio est prohibita.* Sed audiamus eleganter hac de re disserentem præstantissimum Romanorum Philosophorum circa *fin. 3. Offic. Ergo,* inquit, *& promissa non facienda nonnunquam. Neq; semper deposita reddenda sunt. Si gladium quis apud te sana mentis deposuerit, repetat insaniens: reddere, peccatum sit: non reddere officium. Quid, si is qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, reddesne depositum? non crede; facies enim contra Remp. quæ debet esse charissima. Sic multa, quæ natura honesta videntur esse, temporibus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate* (quam ille semper cum honestate copulat) *fiunt non honesta.* Sed ipsum adi, si vis, Autorem, atq; insuper exempla apud eundem lege.

CAP.

CAP. VII.

De Demonstrationibus Practicis moralibus speciatim agitur.

CUm itaque luculentè, ni fallor, ostensum sit, Materiam Philosophiæ Moralis partim necessariam esse, partim contingentem ut plurimum; vix videtur dubium cuiquam relictum esse, certamne de his rebus veritatem habere possimus. Hanc vero non nisi per Scientiam impetrari, supra positum est. Moralem autem disciplinam Scientiam dicere, plurimis hactenus lectu audituve intolerabile visum fuit. Multos enim idem sentire, quod nonnemo his scribit verbis, dubium mihi nullum est: *Scientiam Practicam dicere est, quasi ego dicerem nigram albedinem, aut falsam veritatem. Monstrum enim in Philosophia Aristotelis est Scientia Practica, cum praxis & theoria ubique à Philosopho statuantur differentiæ oppositæ.* Cæterum hoc non esse monstrum, sed methodo ac Philosophiæ Aristotelis planè consentaneum, ex ipso illo tam clarè ostendam, ac si solem, quod ajunt, manibus portem. Primum ita colligo. Ubi demonstrationi locus est, ibi Scientia est: In Philosophia morali demonstrationi locus est. E. Minorem (nam de Propositione per se manifesta non laboro) probo, primò ex Aristotelis, *poster. c. 27. edit. Pac.* ubi disertis verbis dicitur, Scientiam per demonstrationem locum habere non nisi in necessario, & contingenti ut plurimum. In eandem sententiam docet 6. *Metaph.* 2. *Omnis scientia ejus est, quod aut semper, aut utplurimum est.* Manifestissimè vero idem colligitur ex 1. *Eudem.* 6 ubi de methodo & ratione docendi moralia ita scribit: *Rationes in unaquaque methodo vel philosophice, vel secus adhibentur, quæ etiam in politicis* (ita ille more suo generali voce materiam Practicam appellat) *haut supervacuè ita accommodantur, ut non solùm quid, sed quare quid (quod Philosophi est proprium) intelligatur.* Quibus cum fructu reliqua

etiam, quæ ibi sequuntur, addi possunt. Scilicet in eo nonnulli errore hactenus hæsisse videntur, ac si nulla sit Scientia nisi Theoretica, rerumque talium, in quarum contemplatione acquiescimus. Verum non ita se res habet. Aristoteli certè Scientia est cognitio δι' ἀπόδειξιν, *per demonstrationem* acquisita, sive illa de Theoretica, sive Practica, sive Effectiva materia colligatur; ut licet Scientia Theoretica sit πρώτως talis, nihilominus τὸ θεωρητικὸν, sicuti τὸ πρακτικὸν & τὸ ποιητικὸν differentias Scientiarum constituant. Hujus rei testimonia penè ὅλῳ τῷ θυλάκῳ dabo. Libro 8. *Topic. c. 1. edit. Pac.* hæc leguntur: *Divisio ita fieri potest: veluti scientiam scientia meliorem esse, vel quia exquisitior, vel quia rerum meliorum est: & scientiarum alias esse contemplativas, alias activas, alias effectivas.* Libro 6. *Topic. c. 6.* in fine easdem planè Scientiæ differentias tradit. Ejusdem Libri *cap. 3. sub fin.* Medicinam ἰατρικὴν ἐπιστήμην, & alibi passim vocat. Libro 1. *Nicom. c. 1.* cum Artium & Scientiarum meminisset, exempla subjicit ἰατρικῆς, ναυπηγικῆς, στρατηγικῆς, οἰκονομικῆς. Mox cum meminisset etiam ἱππικῆς, χαλινοποιητικῆς, πολεμικῆς, in fine illius capitis λεχθείσας ἐπιστήμας nuncupat. Libro *eod. 1. Nicom. c. 2.* §. 7. non solum τὰς πρακτικὰς ἐπιστημῶν memorat, sed & τὴν πολιτικὴν paulò antè §. 3. & 4. τὴν κυριωτάτην καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴν ἐπιστήμην pronuntiat. *Libro 1. Eudem. c. 5.* ita docet: *Alius est activis scientiis*, (quibus hic includit effectivas, uti sæpe alias) *alius cognitioni contemplationique finis propositus, ut sanitas Medicina, recta juris legumque constitutio Politica. Libro 1. Metaph. c. 1. & 2.* Scientias item dispescit in Theoreticas, Activas & Effectivas. Et quidem *cap. 1.* etiam illud adjicit, quod paulò antè memini, *Speculativas aliis scientiis præponendas esse.* Aristoteli consentanea docent eruditissimi Interpretes cum veteres, tum recentiores. Ita enim scribit ὁ Ἐξηγητὴς Alexander Aphrodisiensis in *Lib. 1. Top. c. 2.* Κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας εἶπε τὴν φυσικὴν, τὴν ἠθικὴν, τὴν λογικὴν, τὴν μετὰ τὰ φυσικά. *Verè philosophicas scientias esse dixit, Physicam, Ethicam, Logicam, & Metaphysicam.* Simplicius item *Proleg. Comm.*

in

in Categor. Arist. Moralia ἀποδεικτικῶς, & μετὰ διαιρέσεων καὶ ἀποδείξεων ἐπιστημονικωτάτων ac per ἐπιστημονικοὺς λόγους proponi posse, atq; ita ab Aristotele proposita esse testatur. Agnoverunt idem ex Latinis veteribus non exiguæ autoritatis Doctores. Ex recentioribus sit unus instar omnium ὁ πάνυ Conringius noster *Libro de civil. prudent. c. 9.* Quinimo non paucos ex Jesuitis idem rectè profiteri videas.

Sed cum de Demonstrationibus rerum moralium jam vindicias instituerimus, non frustra quis mihi illud objecerit, cur Aristoteles toties in Opere Morum limatissimo protestatus fuerit, & quasi stipulatus à suis Auditoribus, ne exquisitas demonstrationes ipsi à se exigerent: ceu videre est ex 1. *Nic. 3. §. 5. seqq. c. 7. §. 51. 2. Nicom.* 2. §. *5. 9. Nicom.* 2. §. *16.* Cæterum salva res est, modò probè mens Aristotelis perspiciatur. Nec enim hoc vult, ac si nullis demonstrationibus in sua philosophia morali sit locus, cum aliud res ipsa doceat; sed τὸ ἀκριβὲς hic non debere ita exigi, veluti in Mathematicis, quibus disciplinis initiatos, pro istius ævi more, habebat auditores: Sicuti ex §. *8. lib. 1. Nic. c. 3.* aliisque textibus facilè apparet. Unde etiam in hunc textum *P*araphrastes græcus scribens, talem huic capiti titulum præfigit, Ὅτι οὐ δεῖ ἀκριβεστάτην ἀπόδειξιν ἐν τοῖς περὶ τῆς πολιτικῆς λόγοις ζητεῖν, ὅτι οὐ δίδωσιν ἡ κατ' αὐτὴν ὕλη. *In tradenda civili scientia non agendum esse demonstrationibus accuratissimis; quia id subjectum ejus non permittit. P*roinde non negat Aristoteles dari demonstrationes rerum moralium, sed accuratissimas, veluti mathematicas, dari negat. Manifestè verò excipit illas, quas materiæ conditio & natura admittit. Materiam vero illam ita describit *1. Nicom. 3. §. 3. seqq. Est vero,* inquit, *in iis rebus, quæ honesta & justa sunt, quas Politica considerat, tanta varietas, tantaque versatur in eis erratio, ut hominum placito, non autem natura constare videantur. Similisq; inconstantia ac mutatio versatur etiam in iis, quæ ut bona expetuntur; idque propterea, quod ex his multi detrimenta capiunt. Reperti enim sunt, quibus divitiæ, etiam quibus fortitudo exitio fuerit.* Huic objectioni repono, quod

ſuprà jam oſtenderim, aliquam actionum moralium varietatem ac mutabilitatem oriri ſolere, atque hinc ſæpe demonſtrationes quam multas obtinere ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Tantam vero fluxitatem illarum ac πλάνην, uti ille loquitur, eſſe, qualem hic proponit, pernego, & Ariſtoteli, cui aliàs plurimùm tribuo, nunquam hac in re adſentiar. Cauſa vero, quæ talia ut ſcriberet, Philoſophum impulerit, hæc eſt, quod vel providentiam divinam circa actiones noſtras, & immortalitatē animæ prorſus negaverit, vel ſaltem in dubium vocaverit. Nam quod modo audivimus illum dicentem, fortitudinem multis exitio fuiſſe, cauſam illius ex *Nicom. 6.* §. *14.* cognoſcas licet: *Omnium*, ait, *rerum nihil horribilius eſt morte*; *nam ea omnium rerum eſt extremum*: *nihilque reliquum videtur eſſe mortuo neque bonum neque malum.* Numquid plura paucis planius potuit proloqui? Scio quidem hunc textum quibusdam coloribus incruſtari, quò impietas Viri excuſetur. Sed nihil profecto ſuis lecythis proficiunt. Materiam itaque moralem, etſi ea non ſuppeditet aut admittat mathematicas demonſtrationes, tamen ſolidas exigere pro ſua conditione ratum eſto. Supereſſe ex eodem Opere Nicomachico videtur unum adhuc obſtaculum, quod etiam removendum eſt. Quando Ariſtoteles *lib. 6. Nicom. c. 3.* Virtutem Intellectus Scientiam nobis depingere inſtituit, dicit illam verſari in materia planè neceſſaria, qualis ſint τὰ ἀΐδια, *æterna*. Jam vero ſuprâ à nobis conceſſum fuit, moralem materiam ita ſimpliciter neceſſariam non eſſe, ſed ſæpe contingentem utplurimum. Primò itaque dicendum eſt, hic quidem exactè agi, vel potius actum eſſe (multa enim hic meritò deſideramus) de Prudentia, non item de reliquis virtutibus dianoëticis. De his enim παρέργως ſolùm agitur, quo ex qualibuscunque harum differentiis propria Prudentiæ natura perſpiceretur. Atque hanc ob cauſam bis breviſſimo illo capite lectorem ſuum ad Analytica remittit, ubi de ſcientia κατ' ἀκρίβειαν egit. Intelleximus autem ſupra, in Analyticis expreſſè profiteri Ariſtotelem, ſcientiam dari rerum vel neceſſariarum, vel contingentium ἐπὶ τὸ πολύ.

Si

Si itaque Aristoteles Scientiam d. l. 6. dixit esse rerum necessariarũ & æternarum, non alio id factum est ab ipso fine, quam ut inter Scientiam πρώτως maximeque propriè dictam & Prudentiam tantò major & evidentior appareret diversitas. Hoc vero non potuit commodiùs fieri, quam si primum Analogatum deligeret. Qui enim de proprietate rerum quæ ἀφ' ἑνὸς dicuntur, velit disserere, & differentias harum aliarumque proponere, debet certè in eo genere sequi, quod primum est ac præcipuum. Hinc cautè noster Stagirita, cum Scientiam dixisset versari circa necessaria, addit, d. l. 6. c. 3. §. 4. εἰ δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι, καὶ μὴ ἀκολουθεῖν ταῖς ὁμοιότησι. *Si subtilitatem exquisitè rimari fas est, & similitudines jam non attendere.* Denique & illud contra nos moveri queat, non semel ab Aristotele dici, Prudentiam & Artem versari circa singularia: dici quoque ab eodem, Scientiam esse universalium. Certum item illud est, Prudentiam esse illam virtutem, quæ homini præscribat & dictitet, quæ in rebus humanis bona vel mala, fugienda vel facienda sint. Recipio hæc omnia. Sed Philosophus idem ille Prudentiam etiam dicit esse universalium. Nec dispar ratio est circa Artem. Ita enim legimus *6. Nicom. 7. §. 23. Neque vero rerum universarum modò prudentia est, sed debent etiam ei esse nota res singulares.* Et ne temerè hoc illi excidisse putes, idem repetitur *cap. seq. 8. §. 22.* Ita enim res se habet Et Prudentiæ & Artis cujusque sunt quædam universalia, sunt item singularia. Horum est Experientia, istorum Scientia. Si itaque Prudentia in agendo, Ars in efficiendo rectè, expeditèque versari ac progredi velit, necessum est, ut universalium ad singularium fiat applicatio, seu, ut Prudentia universalibus practicis in singularibus actionibus, Ars universalibus suis effectivis in singularibus effectionibus utatur: id quod fit per διάνοιαν Prudentis & Artificis. Atque ex hoc fundamento ipsa Prudentia & Ars dicuntur habitus μετὰ λόγου ἀληθοῦς: uti ex utriusque definitione apud Aristotelem liquet *6. Nicom. 4. §. ult. & c. 5. §. 9.*

CAP. IIX.

Quatenus Probabilitas in Moralibus admitti possit: ubi de Conscientia in genere, & de Consensu.

EXplicatum hactenus à nobis est, quid sit Probabile seu Probabilitas. Ostendimus etiam proximè, nonnumquam probabiles rationes in praxi nos posse sequi. Jam ordo postulat, ut dicamus, Quatenus Probabilitas in moralibus locum inveniat, & tutò tales rationes probabiles in vita civili sequi liceat. Dicendum itaque, omnis vitæ actionumque nostrarum esse quasdam regulas & normas. Atque has esse statuo, Leges, sive Naturæ, sive divinas, sive civiles, sive alias. Lex Naturæ & ipsa quidem Divina dici potest, si obligationis, quam habet, vim atque originem spectes: uti ex iis cognoscetur, quæ mox infrà de Legibus divinis dicam. Jam verò hanc ab illa distinguere lubet, ut Lex Naturæ sit, quam lumine naturæ cognoscere, eique accedente debita adsuefactione adsensum tribuere possumus. Lex vero divina hic jam intelligatur, quæ libera Dei voluntate lata nobis per gratiosam revelationem innotuerit. Legem civilem illam denoto, ad quam quisque civis in sua Rep. obligatus est quatenus est talis. Præter hanc normam, LEGEM dico aliquam, Theologiæ Moralis Doctores constituunt etiam alteram, Conscientiam. Unde etiam sua volumina maximam partem explicatione doctrinæ de Conscientia consumunt. Sed uti illi quidem Conscientiam accipiunt, mihi hactenus probari non potuit, rationibus his ductus. Vel Conscientiæ vocem propriè usurpant, vel impropriè. Si propriè, tum Conscientia vel erit Bona, vel Mala. Bona conscientia nihil aliud est, quam εὐθυμία seu Tranquillitas animi, pars consequens ipsius Felicitatis. Mala conscientia è contrario ipsius extremæ Infelicitatis pars & pedissequa est. Apparet hinc Conscientiam propriè dictam actiones nostras, pro diversa harum qualitate, vel Bonam subsequi,

ſequi, vel malam. At illi Doctores principium actionum humanarum faciunt conſcientiam. Hinc Thomas *part. 1. q. 79. art. ult.* Conſcientiam dicit *eſſe cognitionem ſive ſcientiam ad vitæ actiones applicatam.* Quem vir quidam doctiſſimus ſecutus ita tradit: *Scientia quæ principium eſt actionum noſtrarum propriè aliàs Conſcientia vocatur.* Imò impropriè. quomodo enim id, quod actiones morales demum ſubſequitur, illarum ſit principium? Principium enim actionum moralium quod ſit, neceſſum eſt, ut iis moralitatem conciliet, adeoque iis prius ſit. At Conſcientia proprie dicta actiones vel moraliter bonas vel moraliter jam tum malas, bona ſequitur, vel mala. Nihil igitur eſt certius, quam Conſcientiæ vocem impropriè ab iis uſurpari, pro judicio Intellectus practici actionem præcedente: atque hoc ipſum luculentè oſtendi poteſt ex Vaſquesio, qui in *1. 2. tom. 2. diſp. 59. art. 1.* definit Conſcientiam, *Intellectus judicium, quod dictat bonum quid aut malum in vita eſſe.* Sed de vocabulis non ſimus amplius ſolliciti, cum jam de re conſtet; monendum tamen hoc fuit, quod unicam vivendi normam conſtituerim LEGEM, atque huic adſertioni reliquam diſputationem accommodare decreverim. Laudare interim ſententiæ noſtræ adſtipulantem poſſum Cl. Horneum *Philoſ. Moral. l. 3. c. 4. p. 318.* ubi ait, Legem naturæ & divinam eſſe primam & unicam actionum humanarum normam. Proinde ſi & ipſe judicium Intellectus practici ad actiones applicatum easque præcedens fortè recepto more Conſcientiam dixero, impropriè me loqui profiteor. Nec aliter ſentire videtur de la Chambre (Camerarium latinè dixeris) inſignis Medicus ac Philoſophus, Regisque Galliæ Conſiliarius in elegantiſſimo Libro ſuo, quem inſcribit *l' Art de connoiſtre les Hommes.* Verba ejus hæc ſunt cap. *5. Les actions morales ſont conformes à la Droite Raiſon, quand elles ſont reglées, ou par le Loy divine, ou par les Loix naturelles & civiles, ou par le raiſonnement de la philoſophie morale.* Lex vero omnis vel jubet, vel vetat. Nam quod Modeſtinus quatuor dicat eſſe Legis virtutes *l. 7. ff. de Legg.* παχυλῶς dictum fuit,

non ἀκριβῶς. Omnis enim Lex propriè dicta vel ad faciendum præcisè obligat, vel ad omittendum. Prior obligatio ex Lege jubente, posterior ex vetante nascitur, cui parere omnino necesse habeas, siquidem Legislator autoritatem te obligandi habuerit, & reapse etiam te obligatum universali Legis suæ propositione esse voluerit. Quæ vero permittuntur, illa licitè possunt fieri, nec ne; sic ut ad faciendum aut omittendum non sis præcisè obligatus. Obligationem vero ipsam animam Juris Legisque esse adfirmo, ut adeo τὸ Permittere minimè Legis virtus censeri debeat. Nec etiam τὸ *Punire* propriè Legis virtus est. Lex enim intendit hoc primariò, ut obedientiam illi præstent subditi: pœnam non nisi secundariò, & ex eventu; si videlicet morem Legi gerere subditi detrectaverint. Ut igitur ubique in vita nos rectè geramus, duo necesse est rectè se in nobis habeant, Intellectus & Appetitus. Quales enim hæ fuerint in nobis Facultates, tales erunt etiam cum internæ energiæ, tum externæ actiones. Rectè se habebit Intellectus Practicus, si Prudentia sit perfectus, si non exactissima, quam tamen fieri potest exacta: Appetitus vero virtute Morali perficitur. Hæ enim virtutes & perficiunt illas Facultates, & operationibus illarum ὀρθότητα conciliant. Unde sapienter Philosophus *6. Nicom.*12.§.*16. & 17. Ex Prudentia & virtute morali opus Honestatis absolvitur. Virtus enim scopum propositum agenti rectum efficit: Prudentia vero ea, quæ ad scopum ducunt.* Quia igitur Appetitus semper in suum objectum fertur sub ratione boni; etsi reapse non sit semper bonum; facile apparet quantum ad bene agendum virtus Moralis conferat, ut verum finem à falso, &, quod idem est, verum bonum ab apparente non solum Prudentiæ adminiculo & συζεύξει discernere sciat, sed etiam non nisi in verum finem & bonum tale inclinet. Cum item multa sæpe se offerant, quæ tanquam media ad illius finis consecutionem conducere videantur, Prudentia suum quoque facit officium, & accurato eorum delectu utitur, atque inutilibus segregatis, accommodatissima ratione, via, modo ac tempore usa finem

fine

ſine impedimento adſequi novit. Si igitur quædam in vita actio occurrat, quæ aliquam deliberationem mereatur, Intellectus practic⁹ prudentis protinus diſpiciet, poſſitne referri ad debitum finem: poſſe vero videbitur, ſi Legi congruat. Tum diſpiciet de modo, reliquisque ſingularibus, ut & ipſa bonitati finis ſint conſentanea. Hinc jam ejusdem Appetitus eundem & non alium finem promptè ac cum voluptate expetet, qui tum dicitur Voluntas: parique facilitate ac jucunditate modum ac media finis honeſtati convenientia deliget, actionemque bonam perficiet; atque tum ille Appetitus dicitur προαίρεσις. Quod jam Leges cum Naturæ tum à Deo revelatas attinet, ſunt illæ φιλοσοφικῶς conſideratæ vel ipſa Principia, vel Concluſiones. Atque hæ vel ſunt Principiis ſuis propiores, vel ab iisdem remotiores. Quæ ſuis Principiis ſunt viciniores, majorem habent evidentiam, quam alteræ illæ; imò ſæpe tantam, ut pro ipſis Principiis in praxi ab omnibus (quibus non prorſus læva aut improba mens ſit) accipiantur. v. g. Deum eſſe colendum, Parentes eſſe honorandos. Quandocunque igitur certam per demonſtrationem veritatem colligere de illa actione, de qua conſultatur, poteris, probabilem profectò opinionem, utpote cum formidine oppoſiti ſi non ſemper actualiter, radicaliter tamen conjunctam, apodicticè collectæ veritati ſine peccato non poteris in praxi præferre. Quomodo autem illa demonſtratio inſtitui debeat, jam ſuprà tetigi, & pleniùs ex Analyticis ipſaq; praxi & adſuefactione addiſcitur. Videlicet ſi Lex Naturæ aut Divina aliqua jubens Majorem Syllogiſmi practici propoſitionē conſtituat: & deprehenderis actionem illam, de qua jam quæſtio eſt, ſub Legis illius ſubjecto comprehendi, protinus hinc ſequitur talis Concluſio, Ergo hoc eſt faciendum. Sin fuerit Lex vetans, atque item actio, de qua deliberatur, ſub illius ſubjecto contineatur, non poteſt non ſequi hæc Concluſio, Ergo hoc eſt fugiendum ſeu omittendum. Quidquid enim Syllogiſmo practico concluditur, ad praxin pertinet; ſic quidem, ut quælibet concluſio ſubjecti loco Actionem ſingularem

ponat, de qua prædicetur quod vel facienda sit, vel fugienda. Hic vero notandum est, apodicticam veritatem in Practicis non solum obtineri per prima atque immediata principia; sed etiam per mediata, sicut primæ demonstrationis conclusio fiat principium seu Major propositio secundæ, & sic deinceps; modo Leges bonæ consequentiæ attendas, juxta quas una ex alia apta est. verbi gratia non solum apodictice colligo hunc in modum. Quidquid sua natura honestum est, illi omni studio est incumbendum: Atqui Justitiæ exercitium atque administratio est sua natura honesta; Ergo Justitiæ exercitio atque administrationi omni studio est incumbendum. Sed hæc jam Conclusio fieri potest principium sequentis Syllogismi Practici: Quidquid ad Justitiæ exercitium & administrationem facit, in id omni studio est incumbendum. Hic jam varia subsumi possunt singularia: Atqui patrocinium præstare homini innocenti adversus potentem adversarium, coërcere calumnias, prævaricationes, animadvertere in facinorosos, ejusque generis alia facere, ad exercitium administrationemque Justitiæ faciunt: Ergo hæc sunt facienda. Si ita cautè quis in consultando & agendo progredietur, non facile crediderim quæstionem ex his Legibus definiendam repertum iri, de cujus veritate non possit ἀποδεικτικῶς constare. Quod si quis morosior sit in posterioris generis demonstrationibus admittendis, velitque omnia ad ἀκρίβειαν Mathematicam exasciata esse; primo quidem ἀπαιδευσίαν suam prodit, de qua videatur jam citatus textus *1. Nicom. 3. §. 7. seqq.* Cum meritò tales admittendas esse ex ipsa Demonstrationis definitione apud Aristotelem 1. *Topi. c.* 1. certum sit. *Demonstratio,* inquit, *est, cum ex veris & primis Syllogismus constat; vel ex ejusmodi, quæ à quibusdam veris & primis sui cognitionis principium sumpserunt.* & 1. *post. Anal. c.* 2. dicit, quod propter prima sciamus & credamus posteriora. Deinde Conclusiones illas videtur in dubium vocare, quæ nulla demonstratione indigent, sed communi consensu omnium bonorum ita corroboratæ sunt, ut his *fidere tam fas sit, quam dubitare nefas.* Loquor

quor jam de Conclusionibus legum Naturalium. Leges enim Divinas quod concernit, non opus est anxiè disquirere praxeos gratia, utrum sit Principium an Conclusio hæc illave propositio; quia quodlibet Dei præceptum aut interdictum scimus esse infallibilis prorsus veritatis. Jam vero Legum naturalium conclusiones Consensu bonorum corroboratas quanti facere debeamus in praxi, inde facile est colligere, si videamus quid Philosophi de iis propositionibus dicant, quæ ὁμολογουμένως, seu communi consensu ratæ habentur. *Quod omnibus videtur, ita esse statuitur. Nec qui communem illum consensum tollit, probabiliora est* allaturus. Verba sunt Aristotelis 10. *Nicom.* 2. §. 23. eorumque rationem colligere possumus ex 1. *Nicom.* 8. §. 2. *Quod verum est, cum eo congruunt omnia, quæ exstant, inter homines: à falso autem cito verum dissidet ac discrepat.* In quem textum ita commentatur Eustratius, Episcopus Nicenus: *Utitur in hoc communi consensu, utpote ex se fide digno, nulloque extrinsecus ad confirmationem indigente* (ὡς αὐτοπίστῳ) *Nam ubi quid communi consensu probatur, quid in eo opus demonstratione est?* Nec secus sentit Alexander Aphrod. *lib. de Fato: Neque vana*, inquit, *aut à vero aberrans est hominum natura, ubi de re aliqua consentitur.* Atque ad has προλήψεις seu κοινὰς ἐννοίας, uti ipse appellat, quoties, quæso, in illo libello provocat? quod profecto ὁ ἐξηγητὴς nequaquam fecisset, nisi magnum iis pondus inesset. Ita Cicero, ita Seneca, & alii quoque sentiunt. Hic quidem *1. de Nat. deor. De quo* ait, *omnium Natura consentit, id verum esse necesse est.* Idem *1. Tusc. qu. In re consensio omnium gentium jus naturæ putanda est.* Hic *Epist. 117.* ita differit: *Multum dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; tanquam Deos esse inter alia sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos deos credat. Cum de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet Consensus hominum aut timentium inferos, aut colentium.* His quidem Senecæ verbis

ſunt mala mixta bonis. Ego vero jam eo nomine illa adſcribo, ut appareat quantum ipſi gentiles fecerint Conſenſum. Addatur his illud Heſiodi:

φήμη δ' ὄυπς πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ
λαοὶ φημίζυσι.

Non etenim penitus vana eſt ſententia, multi
Quam populi celebrant.

Quintilianus: *Pro certis habemus ea, in qua communi opinione conſenſum eſt.* Alibi Ariſtoteles: κράτιστον πάντας ἀνθρώπυς φαίνεσθαι συνομολογῦντας τοῖς ῥηθησομένοις, *Potentisſima probatio eſt, ſi in id quod dicimus omnes conſentiant.* Nec immerito tantum Conſenſui tribuitur. Ipſe enim uſus & Experientia extorſit illum conſenſum, quod potiſſimùm illas propoſitiones eo confirmatas videmus, quæ per ſe ad Felicitatis humanæ conſecutionem & energiam pertinent: è contrariò tali conſenſu damnatas potiſſimum eſſe illas ſententias, quæ iſti fini obſunt, & ad contrarium prorſus, Infelicitatem & extremam Miſeriam abducunt. Jam vero quæ talia ſunt, ut per ſe ad Finis ultimi humanæ Societatis conſecutionem nos ducant, Jura ſunt Naturæ illius Societatis: Et quæ ab illo fine abducunt & abhorrent, ſuaque natura illi contrariantur, naturaliter ſunt injuſta.

Sed hunc Conſenſum nonnemo elidi poſſe ſine magno negotio putet, inſtantia ab iis petita, qui contrarium de præcipuis ſæpe Juris naturæ capitibus ſenſerunt. Ita Diagoras & Theodorus, Ἄθεοι cognominati, Dei exiſtentiam, Epicurus Providentiam, Dicæarchus animæ immortalitatem, alii alia capita ſuſtulerunt. Non plus talium hominum judiciis tribuendum eſt, quam ſi bilioſus amarum dicat eſſe ſaccharum, aut ictericus ſi nivem eſſe flavam contendat. Hinc rectè Philoſophus *10. Nicom.* 3. §. *31. & 32. Non ſiqua hominibus malè affectis jucunda ſunt, abſolutè & ſua natura etiam ſunt talia. Sicuti nec ægrotis ſalubria, dulcia, vel amara, abſolutè talia ſunt: neque etiam lippientibus alba putata, vere talia ſunt.* Et *cap. 5.* ejusdem libri cum de variis voluptatibus doceret, diſputat ibi, turpes voluptates non eſſe voluptates, licet ſecus

videatur

videatur improbis. Quapropter ita disserit §. *41. seqq. Eadem res alios quidem molestia adficiunt, alios vero delectant: his odiosa & intoleranda sunt, illis amabilia & jucunda. Atque hoc ita & in rebus dulcibus usu venit: non enim eadem dulcia sunt febricitanti & valenti: neque idem calidum videtur debili, & corpus firmum beneque constitutum habenti. Idem vero etiam in aliis usu venit: Sed in hisce omnibus id videtur verum esse, quod viro bono esse videtur. Quod si hoc recte dicitur, ut certè videtur, sique virtus est rei cujusque mensura, itemq. vir bonus, quà bonus: sanè & voluptates æstimandæ sunt quæ huic videntur, illaque item verè jucunda, quibus hic delectatur: illa autem, quæ huic molesta sunt, si cui alteri suavia videantur, non est mirum. Multa enim sunt hominum pestes & corruptelæ. Vere tamen talia jucunda non sunt: Sed his solummodo atque sic affectis. Quæ igitur communi omnium hominum consensu turpes habentur, non debent voluptates vocari, nisi hominibus corruptis, &c.* Locus hic quamvis prolixior exscribendus fuit, quod instituto nostro examussim respondeat. Ubi cumprimis notari velim, *communi Consensu* in moralibus comprobata dici Philosopho, etiamsi contrariũ statuant omnes improbi, etsi numero illos hi vincãt. δεῖ γὰρ σκοπεῖν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσι μᾶλλον τὸ φύσει, καὶ οὐκ ἐν τοῖς διεφθαρμένοις. *Quid enim naturale sit spectandũ in his quæ bene secundũ naturam se habent, non in depravatis*: inquit, *1. Polit. 3. p. 14.* Nam ut rectè docet Porphyrius. *Quædam nationes efferatæ sunt, & factæ inhumanæ, ex quibus non oportet ab æquis judicibus æstimatione facta humanæ naturæ convitium fieri.* Ita quoque Justinus colloquio cum Tryphone excipit illos, *qui ab impuris spiritibus abrepti & per malam educationem, instituta prava & leges iniquas corrupti, naturales notiones perdiderunt.* Sicuti igitur monstrum hominis, non pro homine; ita quoque opinio monstrosa, ut illam in praxi sequi velis, pro nihilo reputanda est. Non solum igitur Juris naturæ capita disertè negare aut tollere impium est, sed & de iis, cumprimis si bonorum consensu corroborata fuerint, dubitare flagitio non vacat. Doceat meliora tales improbos, minimè profe-

ctò aliàs in talibus credulus, gentilis homo Aristoteles. *Nec vero*, inquit *Topic. 11. sub fin. oportet omne problema aut omnem thesin in quaestionem revocare: sed eam de qua dubitare quispiam possit egens rationis, non pœna, aut sensus. Nam qui ambigunt, Utrum oporteat Deos colere, & Parentes diligere, nec ne, pœna: qui vero dubitant, Utrum nix sit alba, nec ne, sensu indigent.* Ex illius igitur sententia, qui evidentia Juris Naturæ capita in dubium vocaverit, non rationibus docendus, sed suppliciis est adficiendus. Abderites Protagoras, Sophista suo tempore maximus, cum in principio sui Libri posuisset: *De Diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere*; Atheniensium jussu urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti: teste Cicerone *1. de Nat. deor.* Rectissimè; quippe cum pœnam, etiam severiorem, ne dubitatio quidem talis effugere debuerit.

Pro vitæ humanæ regulis & normis, uti supra dictum est, non solùm Leges Naturæ, sed & Divinæ nobis sunt observandæ. Cum autem illæ non sint unius generis, distinctè de iis agendum est. Dividere igitur Divinas mihi Leges liceat in Æternas & Positivas. Illas voco Providentiæ divinæ decreta, ab æterno menti divinæ impressa, juxta quæ omnes res creatas, cumprimis hominem, ad suos fines dirigere voluerit. Ita de his Legibus & gentiles & Christiani locuti sunt. Videatur modo unus instar omnium Cicero in suis de Legibus libris. *Hanc*, inquit, *video sapientissimorum fuisse sententiam, Legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam ac ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua est illa lex, quam Dii humano generi dederunt.* Et post aliqua: *Orta est Lex sempiterna cum mente divina.* Augustinus *lib. 1. de lib. arb. c. 5.* illam ita describit: *Lex æterna est ratio in mente Dei existens, qua res omnes per consentanea media in suos fines diriguntur.* Hæc Lex Æterna Dei quatenus Hominem obligat, à Lege Naturæ nihil differt, sed eadem cum

illa

illa est. Per talium enim jurium observationem, qualia Legibus Naturæ comprehenduntur, Deus ab æterno hominem ad suum finem destinavit. Unde Aristoteles Juri Legitimo Naturale contrà distinguens, illud τὸ νομικὸν δίκαιον appellat, hoc τὸ πρῶτον, *primum*. De his igitur cum dixerimus, agè de Legibus Dei arbitrariis & tempore certo revelatis videamus. Sunt autē illæ duplices; vel enim universo generi humano latæ sūt, vel certo alicui populo. Prioris generis ter latas fuisse Grotius vult d. J. B. P. lib. 1. c. 1. n. 15. Primò quidem statim post mundum conditum: Deinde post diluvium: Denique post ἐνσάρκωσιν Christi. Posterioris generis leges sunt, quas Deus à populo Judaico in certam regiminis formam à se conscripto peculiariter observari voluit: quales sunt quæ vel ad ipsorum politiam speciatim, aut ritus & ceremonias pertinebant. Si jam quæras, quasnam ex his Leges pro vitæ regulis nos sequi oporteat, facilè constat ad æternarum (de quibus jam dictum est supra) nec non universo humano generi positarum legum observationem omnes omnino obligatos esse: Ad postremas vero, Judæis peculiariter latas, non præcisè alios præter illos obstrictos fuisse. Interim quem usum vel Christiani vel alii ex legibus Politiæ Hebræorum propriis petere possint, Grotius docet *d. l. n. ult.* Nos jam illud præcipuè spectamus, quinam iis obligati fuerint.

Præter has magna quoque Legum humanarum civilium est autoritas, in usum Rerump. conditarum. Ipsa enim Natura ordinem imperantium & parentium instituit. Hic vero sine εὐνομίᾳ consistere nequit. Εὐνομία vero hæc duo complectitur: primò ut Leges rectè sint latæ: deinde ut ex illarum præscripto vivatur. ---- --- *Alterius sic*

Altera poscit opem res, & conspirat amice.

Alterutra si malè se habeat, aut negligatur, protinus ille ordo turbatur, & Naturæ decretum violatur. Ut vero appareat, quatenus Legibus civilibus actiones nostræ obnoxiæ sint, ipsæ illæ sunt distinctè item considerandæ. Quia enim Civilis societas certo jure ac legibus constituitur, certamque

Reip.

Reip. formam hinc consequitur, accidit, ut non ejusdem notæ Leges ferantur, sed aliæ quidem ex iis bonæ sint, aliæ malæ. Malas enim Leges & ipsas esse Leges nullum dubium est, ut ut sint malæ. Atque hinc ipsarum Rerump. discrimen existit, ut aliæ sint bonæ aliæ vitiosæ. Qua de re convenienter differit Philosophus *2. Nicom. 1. §. 12. & 13. Legislatores cives ad virtutem eos adsuefaciendo bonos efficiunt. Atque hæc quidem est omnium, qui Leges ferunt, mens & voluntas. Quotquot autem minus rectè eos adsuefaciunt, voto suo frustrantur. Atque hoc uno Reip. administrandæ forma altera ab altera differt, bona à vitiosa.* Cui geminus est textus *7. Polit. 1. Quoniam,* inquit ibi, *summum bonum est beatitudo: beatitudo a. virtutis operis functio, & usus quidam perfectus est: resque ita cadit, ut alii possint ejus esse participes & compotes, alii parum aut nihil: hæc videlicet causa est, quamobrem civitatum & Rerump. plura & dissimilia genera exstiterint. Nam dum alii aliis modis, aliusque viis ac rationibus singuli hoc aucupantur atque investigant: & vitæ genera diversa efficiunt, & Reip. administrandæ formas dissimiles.* Ut igitur rem omnem summatim complectamur, Leges humanæ arbitrariæ in salutem Rerump. sanciri solitæ, vel comprehendunt ea, quæ Legibus Naturæ sive jubentibus sive vetantibus sunt prorsus consentanea: vel continent ea, quæ ab iis quidem diversa sunt, non tamen ei repugnant: vel denique ea complectuntur, quæ illis penitus sunt adversa & contraria. Prioris generis Leges sunt ipsius Juris naturalis stricturæ, quæ hactenus forte possint civiles haberi, quatenus ad certam Reip. formam ejusque utilitatem applicantur. Hæ igitur Leges si forte ipsa Juris Naturæ præcepta contineant, eaque hac nova repetitione civibus suis inculcent, his quidem quo pacto morem gerere debeant, facile Intellectus Practicus pervidet: quod talibus principiis positis, facilè demonstratione facta solidè Intellectus certior fieri queat. Si vero illæ Leges Juris Naturæ conclusiones sunt, atque satis manifestè appareat, ex quibus principiis aptæ sint, & quo pacto illæ ipsæ conclusiones porrò demonstrationibus ulteriori-

ulterioribus inservire possint, tum item haut facilè illius Judicium errabit. Quod si illæ Leges tales fuerint propositiones, quæ non sine aliquo negotio ad sua principia revocari queant, si tamen omnium bonorum consensu illas ut Juri naturæ consentaneas comprobari intelligas, & ipsæ illæ pro norma & principio actionum tuarum tibi esse debent, siquidem tale quid faciendum aut omittendum propositum fuerit, quod iis recte subsumi possit & debeat. Quisquis igitur fuerit civis, in quacunque etiam Rep. sit constitutus, tales *Leges* tanquam infallibiles & extra omne periculum positas normas sequi in agendo poterit, modò talium legum quæque Resp. sit capax. Etsi nec Resp. aliqua omnibus modis aut partibus ita soleat esse corrupta, ut nulla bona lex in ea obtineat. Et licet officium boni viri & boni civis multum differat, tales tamen leges in vita sequens, utriusque officium hactenus explevisse videtur.

Alterius generis *Leges* civiles quod attinet, major civi ac subdito difficultas atque sollicitudo oritur. Quia enim Natura non omnia suis *Legibus* certo jure definivit, sed plurima ἀόριστα esse permisit, arbitrio humano relicta; hinc primò quisque civis pro suo statu, conditione, & quo potest studio ac industria, explorabit omne illud jus legitimũ, propterea quod illius observantia sedulò nobis inculcetur illa Juris Naturæ regula, Magistratibus est parendum. Illi vero suam voluntatem vel expresse tali jure vel tacitè sufficienterque declarant: cui adeò parere fas sit. Etsi enim jus *Legitimum* tale sit, ut ante sanctionem nihil interfuerit, vixerintne ex eo homines nec ne: post illam vero vel maximè refert. *5. Nicom. 7.* §. 3. Ubi ergo hoc jus *Legitimum*, diversum quid à Jure naturæ non adversum constituens, ut quidem potest & debet civis exploratum habuerit, tum jam ita secundum illud vivendum est, uti illa quæ ante sanctionem talem & Jure naturæ erant ἀδιάφορα, jam vel ut debita sequatur, vel ut prorsus illicita fugiat. Proinde Intellectus ejus practicus dispiciat, an illud de quo consultatur lege civili determinatum sit sub

 condi-

conditione Justi vel Injusti, nec ne. Sin posterius, tum ἀδιαφορία Jure naturali tali negotio relicta integra est, nisi fortè hinc incommodum aliquod in societate civili sit metuendum. Sin prius, tum vel planè constat Civi, quomodo determinatio à *Lege* sit facta, vel non constat. Prius quando obtinet, pari ut supra dictum est modo Intellectus Practicus procedit, & in consultando talem *Legem* pro norma seu principio supponit: Illi quod rectè fuerit subjunctum, & in conclusione de eo pronuntiatum, prompte Appetitus vel persequi, vel fugere debet. Quod si forte non planè sit certus, quid juris determinatum sit: aut dubitet, an illud, quod quidem latum constat, etiam Naturæ aut Deo adversetur; tum vero oritur anceps & perplexa magis consultatio. Sanè ut scias, quid constitutum lege sit, prudentiores non solùm adsciscì in consilium possunt & debent, sed sæpe ipse rogandus est *Legislator*, ut suam διάνοιαν planius repræsentet. Quia vero, uti etiam suprà monitum est, Respp. magnam partem sunt vitiosæ, aut malè mixtæ, vel melius pejusve mixtæ, & infinitæ penè sint negotiorum civilium tricæ, sæpissimè anceps illa deliberatio civi oboritur, ut quidem boni civis officium explere velit, modò ut boni viri notam fartam tectamque retinere possit. Hic fateor propter allatas & plures etiam alias causas sæpe non apodicticas suppetere rationes, adeoque probabiles esse admittendas; non tamen promiscuè, sed observatis quibusdam cautelis ad praxin necessariis, de quibus Capite sequenti.

Postremo quod illas *Leges* civiles concernit, quæ quædam jubent aut vetant, quæ directò Juri naturæ repugnant, sic ut contraria illo vel jussa vel vetita fuerint, iis nequaquam Civi parere licitum est. Etsi enim Naturæ lex sit, Magistratui morem esse gerendum: atque item Divina jubeat, Omnem animam debere esse subditam potestati civili, quod à Deo sit; facilè apparet, hactenus illas *Leges* obligare, quatenus Magistratus facienda jubet, non facienda vetat, quæ vel Naturæ aut Dei legibus universalibus item jussa sint aut vetita, aut

saltem

saltem illis planè contrarium non sanciant. *Sunt nonnulla ejusmodi*, inquit gentilis Philosophus 3. Nicom. 1. §. 19. *ut fortasse nulla vi aut necessitate coacti ea agere debeamus, atque potius mors nobis sit oppetenda, gravissimique cruciatus perferendi.* Etsi vero Honestum atque Inhonestum aliud sua natura & ubique sit tale, aliud opinione hominum; facile tamen quemvis videre arbitror, me prioris generis intellectum velle, ut si sua natura turpe quid jubeatur mala lege, ei tali casu non esse parendum. De aliis Legibus non addo, quod ex jam dictis facilè colligi queat quo pacto & hæ actionum normæ sint ponendæ; Lex enim omnis actionum quædam est regula.

Quod si nonnunquam gravis Necessitas exceptionem hanc, *Ex malis minimum*, aut similes alias dictitet, tum non solùm huic cedere licet, quin etiam sæpe cedere oportet. Hanc igitur diligentiam si quis in agendo adhibuerit, prudenter, uti par est se geret, nec facilè ad aliquem scopulum impinget, quin potius priusquam incipiat rectè consultans securè certam plerumque veritatem sequetur. Etsi autem commonstraverim, quo pacto ex variis Legibus tanquam principiis practicis demonstrationes faciendæ sint, atque hæ non sint unius generis, sed aliæ sint vel τῦ διότι, aliæ τῦ ὅτι, aliæ item vel Directæ, aliæ Indirectæ appellatæ; ex his tamen nullam esse repudiandam in hac philosophia existimo. Bene expendi merentur quæ leguntur verba 1. Nicom. 4. §. 13. *Principium doctrinæ Politicæ in illo est, quod vocamus τὸ ὅτι: & hoc si sit satis perspicuum, tum vero alterum, quod est τὸ διότι, non magnopere desiderabitur. Et is, qui τὸ ὅτι habet, aut jam tenet principia, aut ea facile percipere poterit.* Quem locum hoc sensu accipit eruditissimus Paraphrastes Græcus, cujus hæc sunt verba: *Vel ab effectis demonstrantur principia, aut à principiis effecta. Nos autem utramque suo tempore adhibebimus rationem. Et à principiis quidem demonstrabimus, cum manifesta erunt illa: contrà vero, cum effectum erit manifestius, &c.* Addatur geminus huic textus 1. Nicom. 7. §. 54. Pro-

inde hic locum habent tam Indirectæ, quam Directæ demonstrationes, etsi hæ istis sint potiores. Directæ (quæ & Ostensivæ appellantur) vel sunt Affirmativæ vel Negativæ: utriusque generis in moralibus usurpari possunt. Et licet utræque sint præstantiores Indirectis; seu ad incommodum ducentibus, nihilominus sæpe & hæ ipsæ magnam hic vim habent.



CAP. IX.

Proponuntur Cautelæ quædam seu Regulæ in Praxi observandæ.

EX superioribus certæ quædam Cautelæ erunt repetendæ, juxtaque cum aliis una quasi tabula consignandæ. Sed, inquis, quid opus est novis regulis, cum supra actionum humanarum regulæ, videlicet Leges Naturæ, Divinæ & Civiles, jam sint constitutæ? Ita est, sed jam aliud agitur: Traditurus enim sum regulas, quas Intellectus Practicus in dijudicando & Appetitus in eligendo debito modo sequatur. Hæ vero multum differunt ab actionum humanarum regulis finalibus, Legibus. quemadmodum enim peritus nauta in pyxide magnetica certam lineam observat, cujus ultimo puncto locus ille designatur, quo cursum destinat. Interim alia atque alia tamen ratione navis gubernaculum torquet, aliaque facit, quæ maxime artis κυβερνητικῆς propria sunt, ut brevia vadosaque loca, ut item gravius incumbentes procellas aliaque pericula ipsumque naufragium effugiat. Ita quoque quilibet homo bonus & prudens ad Leges tanquam normam finalem actiones suas componit. Sunt enim leges præcepta virtutum, in quorum observatione ipsa εὐπραξία seu Felicitas hominis consistit. Interim ne Intellectus Practicus in via errer, aut

aut impingat: ne item Appetitus turbulentorum adfectuum tempestate præceps agatur, sed secunda Rationis aura usus verum bonum anhelet, certæ Moderationis hujus regulæ adminiculantes sive cautelæ sunt constituendæ.

Cum igitur perinde uti in alia materia ita quoque in Morali illa tria suprà exposita locum inveniant, Scientia, Opinio & Fides; circa prius hæ sunt observandæ cautelæ:

I. Quandocunque per demonstrationem certus esse potero de faciendis & fugiendis, tali veritati Opinionem probabilem, cumprimis à scientia illa dissentientem, sine peccato mihi præferre non licet.

Qui de Conscientia docent Doctores, hactenus rectè tradunt, Conscientiam dubiam esse, cum quis dubitat & anceps hæret utri parti contradictionis adsentiendum sit, vel simpliciter existimans rem omnem esse incertam, vel secum quidem rem satis diligenter versans, non tamen uni contradictoriarum magis quam alteri adsentiens. Qui vero talem conscientiam (si qua dicenda fuerit) in praxi sequitur, peccat; qui enim se exponit peccandi periculo, utique peccat. Quin imo dum id agit, quod nescit bonum sit an malum, scit vero ita dubitans & bene & male illud fieri posse, in peccatum quodammodo consentire atque illud velle videtur. Rectè idem gentiles intellexerunt. Sic enim post Stoicos Cicero 1. *Offic. Bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum sit an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se: dubitatio autem cogitationem significat injuriæ.* Probabilem Conscientiam vocant cujus judicium sit probabile, seu opinioni probabili innitatur. Opinionem vero describit ita cum Thoma Angelus de Clavasio, cum Intellectus rei adsentitur, non quidem sufficienter aut plenè convictus, sed quod voluntas propter probabilem rationem magis inclinet in unam partem, quam in alteram, cum formidine tamen oppositi.

Etsi igitur Conscientiam probabilem aliquando ut Rectam sequi fas sit, nefas tamen est illam sequi, si de probabiliter cognitæ propositionis contradictoria apodicticè tibi constet. Tunc enim per conclusionē apodicticam ita est convictus intellectus tuus, ut contradictoriam probabilem aliquando visam, non solum non possis sine peccato sequi, sed etiam illam jam ut manifestè falsam debeas abjicere atque damnare.

Præterea etiamsi omittantur, illa datæ regulæ verba, A SCIENTIA ILLA DISSENTIENTEM, reliquis sua integritate relictis, nihilominus illam obtinere existimo. Etsi enim formido oppositi, quam conjunctam habet Opinio, non sit semper realis dubitatio, nihilominus tamen peccatur, cum possis certam tutò veritatem sequi, malis tamen cum periculo falsi probabilem opinionem amplecti, etiamsi idem probabiliter per hanc concludatur, quod per demonstrationem apodicticè. Negligenter enim aut præfidenter res practicas tractare, & probabile certum apodictico forte per piam Voluntatis adfectionem præponere, & ipsum est peccare. Non equidem immemor sum eorum, quæ supra dicta sunt, eundem hominem de eadem re simul non posse Scientiam habere & Opinionem, ut videri possit nihil hac Regula opus fuisse, propter vesanas tamen Probabilistarum sententias & adsertiones illa poni debuit. Et sæpissimè Opinionem præponi solere scientiæ, & hanc ab illa extrudi, exemplo sint Incontinentes, qui contra Scientiam suam agunt; & Opinionem ab adfectibus Intellectui non satis bene disposito commendatam sensuique gratam sequuntur. Qua de re subtiliter contra Socratem disputat Philosophus *7. Nicom. 3.*

II. Demonstrationes practicas eo discrimine in agendo sequi oportet, quo ipsa illarum constabunt principia.

Practicarum Demonstrationum principium Legem aliquam esse dixi: harum vero cum magna sit diversitas, cumprimis

primis humanas positivas si videas, Prudentis sanè hic opus est judicio. Malas enim *Leges*, hoc est, Juri Naturæ ac voluntati divinæ penitus repugnantes vicem Principii sustinere in vita humana hautquaquam fas est. Aliæ, quæ quidem non sunt tales, sed hominum placito præter naturæ decreta quædam constituunt, superioris alicujus Legis autoritati sæpe obnoxiæ sunt, ut certis casibus modo illarum obligatio suspendatur, modò per æquitatem restringatur, imò, ut sunt res humanæ, aliquando tota exstinguatur. Si v. g. *Lex* sit, *Seditiosos* esse capite plectendos, aut in exilium pellendos: talium vero tantus sit numerus, eæque vires, ut in discrimen universa adducatur Respublica, propter majoris mali metum suspendenda fuerit illa obligatio, & potius ἀμνηστία omnis injuria obliteranda. *Qui enim in sua manu habent arma, in eorundem arbitrio est, maneat, an non maneat respublica. 7 Polit. 9.* Par quoque necessitas nonnunquam jubebit, ut Lex penitus abrogetur. De Æquitatis restrictione non est cur quidquam addam, cum illa sit perfrequens. Omnia igitur ea, quæ jam suprà attuli, iisque fortè pro re nata addi possunt & debent, antequam ipsam actionem aggrediaris aut deseras, providè in deliberando sunt ponderanda. Exactè enim hic omnia definire nec licet, nec consilium est; sed his ita positis, Probabilitatis Jesuiticæ absurditatem solùm generaliter detexisse sufficiat.

Proinde Opinionem quod attinet, cum illa multis modis variare possit, certæ quoque de illa constituendæ sunt regulæ.

III. Quandocunque apodictica ratio non suppetit, probabilem rationem sequi oportet, sed maximè tutam.

Pluribus suprà demonstratum fuit, fas esse aliquando in vita sequi Opinionem probabilem. Cæterum cum Probabilitatis sint gradus, aliaque sententia magis, alia minus probabilis sit, non continuò illa arripienda & in praxi usurpanda est,

quæ

quæ maximè sit probabilis. Accidit enim ut minus probabilis magis sit tuta quàm quæ probabilior videtur, minusque est tuta. Probabiliorem appello, quæ fortè pluribus ac solidioribus rationibus nititur: Tutiorem, quæ à peccato remotior est, etsi rationes illius sint pauciores minusque firmæ. Proinde si de actione aliqua deliberes, & Intellectus Tibi suggerat utriusque generis probabiles rationes, Prudentia Te obligatum esse ostendet, ut tutiorem licet minus probabilem opinionem sequaris, propterea quod non solùm peccatum, de quo penitus constat, sed etiam periculum & occasio peccandi evitari debeat, ne in ipsum peccatum consensisse tuave culpa te præcipitasse videri queas.

IV. Opinio probabilis falsa in praxi usurpata à peccato neminem penitus absolvit.

Hæc Regula ut rectè intelligatur, multa notanda veniunt. Primò quidem nulla Opinio probabilis est, nisi ejus contradictoria quoque sit probabilis. Si enim ejus sit certa atque evidens veritas aut falsitas, de opposita opinione quid judicandum sit, cuivis manifestum erit, quandoquidem contradictoriarum alteram veram esse, alteram falsam, planè necessum est. Deinde sæpe Intellectus de faciendis ac fugiendis secus statuit, quam Lege vel Naturæ vel alia definitum est. Theologiæ Moralis Doctores *Conscientiam errantem* vel *erroneam* appellant. Atque hæc à Probabili non differt, cum falsum approbando in praxi sequitur. Errat enim, qui falsum censet esse probabile, falsamq; morum facit regulam. Cumprimis illi errores probabilibus opinionib' accenseri solent, si difficiliùs & fortè à paucioribʼ deprehendi queant. Præterea etsi ratione Conscientiæ quam dicunt Errantis discrimen sit faciendum, primò ratione rei, quod vel de re per se bona, vel de re per se mala, vel de indifferenti concipiatur: deinde ratione ipsius Erroris, qui vel sit vincibilis, vel Invincibilis; nos tamen operosiùs omnia & singula hæc non excutiemus, sed hoc solùm urgebimus, quisquis falsum sequendo

quendo (ut ut ipsi probabile videatur) ab æterna veritate recedit, eum peccare. Ab æterna, inquam, veritate; cujus universalia decreta ac jura neminem fugere debent. Aliàs si quis agat errore invincibili ductus, sic ut in sua causa (ut loqui amant Scholastici) planè fuerit invincibilis, & non fucata subsequatur pœnitentia, actio invita fuerit habenda. Operæ pretium fuerit Thomam ingeniosè hac de re differentem audire, cujus verba à Wendrockio citata legere est suprà pag. 79. Modo notes Thomam ibi more Scholasticorum Doctorum, uti suprà monui, præter Legem alteram morum normam item facere Conscientiam. Quod tamen nostræ adsertioni nihil officit; quod talis Conscientia sive Intellectus judicium, de quo jam dictum est, Legem aliquam supponat, ac sæpe sibi fingat.

Cum vero Probabilitatis dogma maximè innitatur testimonio atque autoritati Doctorum, circa Fidem notandæ sequentes sunt Regulæ:

V. Fides divina semper præferenda est humanæ.

DEUS enim ubique sapiens, ubique verax est, & fallere nescius: cum è contrario nemo non hominum labi, errare ac fallere possit. Nec est, quod divinæ autoritati fortè hominum existimatione magnos, aut numero multos opponere velis Doctores; hi enim ipsi sæpè falsissimis principiis fascinati in absurdissimos ruunt errores.

VI. Imò Fides divina omnibus rationibus & argumentis humanis, non solùm probabilibus, sed & apodicticis, præponenda est.

Nam si de Dei voluntate perspicuè modò constet, quid fieri à nobis aut non fieri velit, humanas rationes non est quod operosè scrutemur, sed promptè obsequi, & vel hæc facere, vel illa omittere nos oportet. Ἀπόδειξις sanè si legitimè se habuerit nunquam voluntati divinæ adversabitur; A Prudenti enim facta eo utetur principio, seu tali Lege, quæ illi consentanea

ſit, ut συμπέρασμα legitimè collectum nihil ſit pronunciaturum voluntati divinæ contrarium. Interim cum non à quovis ubique expeditè demonſtrationes confici poſſint, rectius fit, ſi modeſtè Dei nutui pareamus, modo de illius ſententia & voluntate nobis conſtet, uti dictum eſt.

VII. Fides humana unius aut plurium Doctorum teſtimonio nitens ſolidæ demonſtrationi poſtponenda eſt.

Si de eadem quæſtione hinc complurium Doctorum rationes proponantur, atque hinc una aliqua unius Demonſtratio ſolida; hanc in moribus ſequi, illas miſſas facere oportet. Demonſtratio enim cum planè certum faciat Intellectum Practicum, nullo periculo obnoxius eſt homo, in agendo illam veritatem ἀποδεικτικὴν ſequens. Teſtimonia vero illa & probabiles rationes, ut ut multorum Doctorum, non tamen aliam quàm probabilem efficiunt veritatem, ſic ut licet Intellectus Practicus iis in alteram contradictoriarum magis incline:, periculum tamen peccandi non omne abſit, cumprimis ſi & probabiles has rationes, & apodicticæ illius unius vim perſpexeris, aut perſpicere potueris & debueris. Demonſtrationi enim adſenſus non tribuitur propter fidem & autoritatem dicentis, ſed propter vim & evidentiam ipſius veritatis.

VIII. Fides humana Intellectum Practicum aut hominem in agendo nunquam ſecurum præſtare poteſt, niſi Legi alicui, DEO vel probatæ, vel non improbatæ ſit conformis, vel ſaltem Legi alicui aut Voluntati divinæ non repugnet.

Securitatem in agendo ex ſe nemo Doctorum præſtare poteſt, quòd autoritatem docendi habeat, aut ſufficiat, ſi indigitare poſſis, Αὐτὸς ἔφα. Quæcunque vero Fides iis tribuitur, propter rationes tribuenda eſt. Lex vero eſt optima ratio, adeoque hæc potiſſimum adſenſum meretur, imò ſæpe illum extor-

tor-

torquet. Autoritas verò illa & testimonium externum Doctoris opinionem solùm facit probabilem, eandemque sæpissimè fallacem. Tanti igitur faciendum est testimonium, quantam cum Lege aut vera ratione habuerit convenientiam, cui si fidem tribuam, his debetur, non illi. Interim cum Leges multum sint diversæ, quod ex superioribus manifestum esse existimo, hinc tum demum securus in agendo sum, si testimonium Doctoris sequar tale, quod conveniat prorsus cum Lege vel Naturæ, vel Divina, vel Humana civili à Deo non improbata. Quod si negotium fortè exstiterit tale, quod nec Naturæ, nec Divina, nec Humana lege sit definitum, certa illius forma determinata, testimonium Doctoris hactenus licite sequor, quatenus certò mihi constat, illius sententiam nulli Legi, sub cujus obligatione alioqui agens esse possit, repugnare. Si enim hac de re certus non sim, ac temerè fidem Humanam sequar, eamque forte erroneam, à peccato eapropter absolvi nequeo. Bene in hanc rem Thomas *Quodlib. III. art. 10. Respondeo dicendum, quod diversæ opiniones Doctorum sacræ scripturæ, siquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramq; opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit ad Rom. 14. Unusquisq; in suo sensu abundet. In his vero quæ pertinent ad fidem & bonos mores,* NULLUS EXCUSATUR, SI SEQUATUR ERRONEAM OPINIONEM MAGISTRI. *In talibus enim ignorantia non excusat.* Quæ verba insigni perfidia adulterare non erubuit Sanctius Jesuita: cujus verba habes suprà apud Wendrockium in notis pag. 59. 60. & 80.

IX. Quidquid theoreticè verum est vel falsum, idem quoque in praxi vel verum vel falsum, h.e. licitum vel illicitum est.

Hæc Regula nō speciatim Scientiam aut Opinionem aut Fidem concernit, sed universalis est. Theoreticè verum appellant, quando Intellect⁹ Practicus Legem ita habet certò cognitam, ut ipsi de actionib⁹ universaliter rectè constet, quæ illi vel con-

ſentiant, vel ab illa abeant. V. g. Si ſuum cuique tribuendum eſſe ſciam, conſtat juſtitiam ubicunque opus eſt exercendam, & omnem injuſtitiam eſſe fugiendam. Practicè verum vel falſum eſſe dicunt, quando quæſtio eſt de actione ſingulari v. gr. an calumniatorem meum mihi occidere liceat. Ita quæri poſſet theoretice, An Chriſtiano liceat bellum gerere, aut uſuras capere: Practicè, an huic liceat iſti bello intereſſe, an mihi à Sempronio tali tempore uſuras capere. Diſtinctio igitur tolerari poſſe videtur, de ipſa tamen Regulæ veritate rectius conſtabit, ſi ex Ariſtotele repetamus, quæ ipſi dicatur Veritas Practica. Si Intellectus Practicus & de univerſalibus & de ſingularibus practicis rebus rectè judicet, & appetitus huic judicio promptè morem gerens ad ſingularem actionem perficiendam moveatur, adeoque ſemper recto rationis dictatu ſe regi patiatur, Veritas eſt Practica. *6. Nicom. 2. §. 9.* Si igitur Appetitus, proximum principium πράξεως, debet planè conſentire Intellectus recto judicio, atque hoc item ὁμολόγως ἔχειν τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ, uti hic loquitur Philoſophus, non poteſt non eadem eſſe Veritas de rebus agendis, ſi theoriam illarum cum ipſa praxi contendas. Illud ſanè accidere poteſt, ut quis univerſalem propoſitionem ratam habeat, v. g. nulli Chriſtiano licere artem fœnebrem exercere; & tamen ignoret hoc vel illud, quod jam agitur à fœneratore Alphio, eſſe artem fœnebrem exercere: hoc autem inde evenit, quod non ſatis recte pervideat, hoc ſingulare ſub illo univerſali contineri. Ubi vero de utroque conſtiterit, non poteſt non & in univerſali theoria & in ſingulari praxi ſtatuere, tale quid agere eſſe planè illicitum. Atque hæ ſunto illæ Regulæ, quas quilibet vir bonus, & præcipuè Chriſtianus, in vita & moribus prudenter obſervet: præter quas & aliæ nonnullæ ſine dubio conſtitui poterunt, & his (ſi argutari aut calumniari velint Probabiliſtæ) addendæ ſunt. Nos vero ne juſto prolixiores ſimus, jam traditis contenti erimus & utemur.

CAP. X.

CAP. X.

Jesuitarum novorumq́; Casuistarum Effata de PROBABILITATE, & variæ hinc productæ Conclusiones proponuntur.

PRudens profectò vox est Ciceronis 3. *de Finib. Ut*, inquit, *histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus; sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet.* Modus ille ac norma agendi vivendiq́ue rectissimè capitur ex Legibus, cumprimis Naturæ & Divinis. Lex enim nemini indulget, nihil dat adfectibus, sed est oratio à prudentia profecta, uti ait Aristoteles *10. Nicom. ult.* Mentem autem seu Prudentiam qui actionum præsidem constituit, videtur iis constituere rectorem Deum atque Leges *3. Polit. 12. p. 208.* ὁ γὰρ νόμ☉ ἄνευ ὀρέξεως νȣ̃ς ἐςί. *Lex enim est sine appetitione mens. ibid.* eamq́ue ob caussam ita à Cicerone *Lex* describitur, quod *sit nihil aliud, nisi recta & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.* Ut igitur contraria sibi invicem opposita rectissimè innotescant, videamus sanè, ecquam vivendi normam Jesuitæ noviq́ue Casuistæ habeant. Est illa PROBABILITAS, quæ actionibus moralibus applicata Lesbiæ regulæ vicem sustinet. Quemadmodum enim Lesbii in ædificando propter lapidum asperitatem usi regula plumbea & flexibili, quæ se inflecteret atque accommodaret ad lapidum inæqualitatem, cum alioqui lapides ad regulam dirigi & æquari soleant; Ita Probabilistæ actiones non conformant Legum normæ, sed Lesbiam PROBABILITATIS suæ regulam quibuslibet actionibus & nauseanti luxuriantiq́ue appetitui attemperant. Ut igitur superiorum veritas & Probabilitatis Jesuiticæ falsitas tantò luculentiùs appareat, pronuntiata non solùm generalia de Probabilitate, sed varias hinc collectas conclusiones sub unum conspectum producam, ut monstrosa hæc bestia planè sit εὐσύνοπτ☉, & à quovis honestæ piæque vitæ stu-

ſentiant, vel ab illa abeant. V. g. Si ſuum cuique tribuendum eſſe ſciam, conſtat juſtitiam ubicunque opus eſt exercendam, & omnem injuſtitiam eſſe fugiendam. Practicè verum vel falſum eſſe dicunt, quando quæſtio eſt de actione ſingulari v. gr. an calumniatorem meum mihi occidere liceat. Ita quæri poſſet theoretice, An Chriſtiano liceat bellum gerere, aut uſuras capere: Practicè, an huic liceat iſti bello intereſſe, an mihi à Sempronio tali tempore uſuras capere. Diſtinctio igitur tolerari poſſe videtur, de ipſa tamen Regulæ veritate rectius conſtabit, ſi ex Ariſtotele repetamus, quæ ipſi dicatur Veritas Practica. Si Intellectus Practicus & de univerſalibus & de ſingularibus practicis rebus rectè judicet, & appetitus huic judicio promptè morem gerens ad ſingularem actionem perficiendam moveatur, adeoque ſemper recto rationis dictatu ſe regi patiatur, Veritas eſt Practica. *6. Nicom. 2. §. 9.* Si igitur Appetitus, proximum principium πράξεως, debet planè conſentire Intellectus recto judicio, atque hoc item ὁμολόγως ἔχειν τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ, uti hic loquitur Philoſophus, non poteſt non eadem eſſe Veritas de rebus agendis, ſi theoriam illarum cum ipſa praxi contendas. Illud ſanè accidere poteſt, ut quis univerſalem propoſitionem ratam habeat, v. g. nulli Chriſtiano licere artem fœnebrem exercere; & tamen ignoret hoc vel illud, quod jam agitur à fœneratore Alphio, eſſe artem fœnebrem exercere: hoc autem inde evenit, quod non ſatis recte pervideat, hoc ſingulare ſub illo univerſali contineri. Ubi vero de utroque conſtiterit, non poteſt non & in univerſali theoria & in ſingulari praxi ſtatuere, tale quid agere eſſe planè illicitum. Atque hæ ſunto illæ Regulæ, quas quilibet vir bonus, & præcipuè Chriſtianus, in vita & moribus prudenter obſervet: præter quas & aliæ nonnullæ ſine dubio conſtitui poterunt, & his (ſi argutari aut calumniari velint Probabiliſtæ) addendæ ſunt. Nos vero ne juſto prolixiores ſimus, jam traditis contenti erimus & utemur.

CAP. X.

CAP. X.

Jesuitarum novorumq; Casuistarum Effata de PROBABILITATE, & variæ hinc productæ Conclusiones proponuntur.

PRudens profectò vox est Ciceronis 3. *de Finib. Ut*, inquit, *histrioni actio, saltatori motus, non quivis, sed certus quidam est datus; sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet.* Modus ille ac norma agendi vivendique rectissimè capitur ex Legibus, cumprimis Naturæ & Divinis. Lex enim nemini indulget, nihil dat adfectibus, sed est oratio à prudentia profecta, uti ait Aristoteles *10. Nicom. ult.* Mentem autem seu Prudentiam qui actionum præsidem constituit, videtur iis constituere rectorem Deum atque Leges *3. Polit. 12. p. 208.* ὁ γὰρ νόμος ἄνευ ὀρέξεως νοῦς ἐστί. *Lex enim est sine appetitione mens. ibid.* eamque ob caussam ita à Cicerone *Lex* describitur, quod *sit nihil aliud, nisi recta & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.* Ut igitur contraria sibi invicem opposita rectissimè innotescant, videamus sanè, ecquam vivendi normam Jesuitæ novique Casuistæ habeant. Est illa PROBABILITAS, quæ actionibus moralibus applicata Lesbiæ regulæ vicem sustinet. Quemadmodum enim Lesbii in ædificando propter lapidum asperitatem usi regula plumbea & flexibili, quæ se inflecteret atque accommodaret ad lapidum inæqualitatem, cum alioqui lapides ad regulam dirigi & æquari soleant; Ita Probabilistæ actiones non conformant Legum normæ, sed Lesbiam PROBABILITATIS suæ regulam quibuslibet actionibus & nauseanti luxuriantique appetitui attemperant. Ut igitur superiorum veritas & Probabilitatis Jesuiticæ falsitas tantò luculentiùs appareat, pronuntiata non solùm generalia de Probabilitate, sed varias hinc collectas conclusiones sub unum conspectum producam, ut monstrosa hæc bestia planè sit εὐσύνοπτος, & à quovis honestæ piæque vitæ stu-

dioſo attentè cognoſci poſſit. Primùm autem ea excerpam, quæ habet Montaltius de PROBABILITATE placita Epiſtola quinta & ſexta: tum ſubjungam ea, quæ à Parochis Rothomagenſibus & Pariſienſibus ex Jeſuitarum novorumque Caſuiſtarum libris collecta dogmata Archiepiſcopis, Epiſcopis & Clero Gallicano Anno CIↃ IↃC LVI fuerunt exhibita, & ab aliis fortè ſparſim compilata attexam.

Ex Epiſtola Montaltii quinta hæc damus, reliqua à nobis hic omiſſa ſuo videantur loco.

ANTONIUS DE ESCOBAR, Valliſoletanus, Jeſuita, in Prin. Exam. 2. n. 8. *Probabilis ea opinio dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti. Unde aliquando unus tantùm Doctor gravis admodum opinionem probabilem poteſt efficere. Quia vir doctrinæ ſpecialiter addictus, haut adhærebit ſententiæ cuilibet, niſi præſtantis ſive ſufficientis rationis vi allectus.*

SANCTIUS Sum. c. 9. n. 7. *Sed dubitabis an autoritas unius Doctoris probi & docti reddat opinionem probabilem? Reſpondetur reddere. Ita tenent Angelus, Sylvius, Navarra, Emanuel Sa, &c. Probatur: quia opinio probabilis eſt, quæ non levi nititur fundamento: at autoritas viri docti & pii non eſt leve fundamentum. Si enim non eſt levis momenti, ſed magni potius, ut aliquid Romæ contigiſſe credamus, id virum pium adſerere; cur non magni erit in re morali dubia, quod vir pius & in ea materia doctus cenſuerit? Nec placet limitatio Adriani & Cordubæ, &c. ut hoc intelligatur, ſi ſit error juris humani, ſecus ſi divini: quippe qui in utriſq; magni eſt ponderis & momenti viri gravis & pii autoritas.*

ANTONINUS DIANA, Panormitanus, Epiſcoporum Examinator & S. Officii in Regno Siciliæ Conſultor, Part. 3. Tr. 4. Reſol. 244. *Hæc omnia Pontius adverſus Sanchez. Sed quia fuerunt viri doctiſſimi, ſaltem ex principio extrinſeco unusquisque ſuam opinionem efficit probabilem, & tutam in praxi.*

EMANUEL SA, Jeſuita, in Aphoriſmis: *Poteſt quis facere, quod probabili ratione vel autoritate putat licere, etiamſi oppoſitum tutius ſit. Eſt communis recentiorum.*

FILI-

FILIUTIUS, Jesuita Romanus, Tr.21.c.4.n.128. *Licitum est sequi opinionem minus probabilem, etiamsi minus tuta sit. Est communis recentiorum.*

PAULUS LAYMANNUS, Jesuita, Th.Mor.tom.1.tract.1. c.5.§.2.n.7. *Doctor alteri consulenti consiliũ dare potest, non solùm ex propria, sed etiam ex opposita probabili aliorum sententia, si fortè hæc illi favorabilior seu exoptatior sit: qua de re Vasquez disp. 62.c.9.n.47. Sanct.in Sum.c 9.n.23. Lopez.p.1.inst.c.120. Imò arbitror nihil à ratione alienum fore, si Doctor consultus consulenti opinionem à quibusdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde sequi ipsi liceat, quamvis idem Doctor ejusmodi sententiam speculatione falsam esse CERTO sibi persuadeat.*

DIANA Baunium sibi faventem amplexus contra P.Lugo: *sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.*

CELLOTIUS de Hierarchia lib.8.c.16.n.714. *Quæ circa fidem emergunt difficultates, è veteribus haurienda: doctrina morum à recentioribus sumenda.*

REGINALDUS in præfatione Operis sui: *In definiendis quidem circa credenda occurrentibus difficultatibus, quo antiquiores fuerint autores, eò majoris ponderis censentur ipsorum placita, tanquam viciniora traditioni, doctrinæq́ Apostolicæ. In dirimendis tamen controversiis circa agenda natis, potior ex adverso habetur ratio Doctorum recentiorum, qui præsentium temporum, morumq́ conditiones perspectas habent.*

DIANA hæc secutus ita scribit Part.5.Tr.8.Resol.31. *Beneficiarii tenenturne restituere proventus beneficiorum, quibus malè usi sunt? Antiqui affirmabant: negant recentiores. Sed tu ne deseras prædictam sententiam, liberantem suprà dictos ab onere restitutionis.*

Ex Epistola VI. Lud. Montaltii sequentia adfero.

CASTRUS PALAUS, Jesuita, Oper. Moral. part.1. dis.2. p. 6. *Non est controversia, quando daretur opinio probabilis ex parte subditi, quod non teneatur obedire, etiamsi contraria sententia sit probabilior. Tunc enim licitum est ex suprà dictis amplecti, quæ sibi gratior fuerit. Ita notavit in præsenti Thomas San-*

JOANNES CARAMUEL, S. Theologiæ Doctor & Prof. Monsseratensium & Dissenbergensium (Benedictinorum Cistertiensium) Antistes, & Eminentissimi Principis Cardinalis ab Harrach, Archiepiscopi Pragensis, Vicarius Generalis, denominatus Mysiæ Episcopus, in Epist. ad Dianam: *Laudant te & legunt viri docti, nec est in Europa Theologus, qui sit studiosus, & te careat. Si qui obmurmurant, docti non sunt, & tota oblocutio æmulorum pervenit ad Columnas Herculeas, cum dicunt* DIANAM ESSE AGNUM DEI, QVI ABSTULIT PECCATA MVNDI. *Idem ego frequenter inculco, ut te commendem.*

Ibidem. *Ego ingenium Dianæ viri quidem doctissimi veneror; ejus industria multas opiniones evasisse probabiles, quæ antea non erant: invidus sit qui non affirmet. Si jam sunt probabiles, quæ antea non erant, jam non peccant, qui eas sequuntur, licet ante peccaverint; Ergo si ejusmodi peccata ab orbe literario Diana sustulit, merito dicetur esse* AGNUS DEI, QVI ABSTULIT PECCATA MUNDI. *Habento Navarrus & veteres Casuistæ gloriam suam: sunto leones, & à rigore & severitate laudantor: esto* AGNUS tu, *laudandus à benignitate.*

LAYMAN Theol. Moral. l. 1. Tr. 1. c. 5. §. 2. n. 7. *Arbitror nihil à ratione alienum fore si Doctor consultus significet consulenti, opinionem à quibusdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde sequi liceat: quamvis idem Doctor ejusmodi sententiam speculativè falsam esse certò sibi persuadeat, ut proinde ipsemet in praxi eam sequi non possit. Cum enim consulens in re dubia jus habeat se conformandi opinioni, quæ à quibusdam viris doctis defenditur; nihilobstante quod aliqui alii contradicant, & speculativè sententiam improbabilem judicent, hoc ipsum jus consulenti Doctor indicare non prohibetur. Atq; hinc existit, quod vir doctus diversis secundum oppositas probabiles sententias opposita consilia dare possit, servata tamen discretione ac prudentia.*

ESCOBAR Prin. exam. 3. n. 20. edit. Lugdun. an. 1644. *Doctor potest ne alteri consulenti dare consilium non solùm ex pro-*

pria, sed etiam ex aliena sententia probabili, quæ consulenti sit favorabilior? Posse affirmo cum eodem Laymano.

IDEM n.24. ultimæ edit. *An Confessarius ut consultor possit contra propriam opinionem, minus probabilem consulere, ut pœnitentem vel consulentem ab onere aliquo liberet? Posse Vasquez affirmat. 1.2.d.62.c.9.n.47. Becanum scio distinxisse in 1.2. tr. 1. c. 4.q.9.n.16. sed idem demum asseruisse constat.*

IDEM. Theol. Moral. Tr.1. Exam 8.c.3. Praxis circa 6. mandatum ex Soc. Jes. Doctoribus. 102. *Num Bulla Pii V. contra Clericos Sodomitas obliget in foro conscientiæ. Henriquez sentit usu non esse receptam probabiliter, nec in conscientiæ foro obligare. Quod si usu recepta sit, Clericus feminam in indebito subigens vase, non committit propriè Sodomiam, quia licet non servet debitum vas, servat tamen sexum. Nec incurrit* ex Suario *pœnas Bullæ intra vas masculi semen non immittens; quia delictum non est consummatum. Nec* ex eodem *qui non nisi bis aut ter in Sodomiam sunt lapsi; quia Pontifex has pœnas Clericis exercentibus Sodomiam infligit. Nec* (adhuc ex Suario) *ante sententiam Judicis declaratoriam pœnas Bullæ in foro conscientiæ incurrunt: quia nulla lex pœnalis obligat homines ad se prodendum. Colligo Clericum exercentem Sodomiam, si sit contritus, etiam retento beneficio & dignitate omnino esse absolvendum.*

AZORIUS Instit. Moral. Part.3. l.2 p.105. *Decimò sextò quæritur, an si invasor percutiat v.g. alapa, vel fuste, vel verbere hominem alicujus notæ & honoris, ita ut ignominiosum sit illi, licitum sit occidere invasorem, ne alapa, vel fuste, vel verbere lædat? Duæ sunt opiniones. 1. asserentium non licere occidere. Sic videtur sentire Major 4. dist. 15. q. 20. quia vita proximi pretiosior est nostro honore. Deinde quia est inhumanum occidere alium, ne nos alapa, vel verbere, vel fuste percutiat. Opinio secunda est asserentium id esse licitum, nimirum quando alapa, vel verbere, vel fuste percuti esset valde homini percusso dedecorosum. Ita Sotus, Covar. Navar. locis suprà citatis. Certè hoc videtur probabile, cum alio modo suum honorem defendere non potest. Ali-*

ter.

ter enim ex malitia hominum honor innocentis passim tolli posset.

FILIUCIUS Tom.2.Tr. 29. c. 3. n. 50. *Si factis impugnetur honor, connitendo alapam vel fustem impingere, probabilis est sententia Doctorum dicentium fas esse viro honorato occidere talem invasorem. Navar.c.15.n.3. Sot.a.8. Syl.tom.1.q.5. & alii cum Less.n.77. Ratio est, quia sicut licet invasorem occidere ad defendenda bona temporalia, ut dictum est praced. quæst. ita multò magis licere debet ad defendendum honorem, qui meritò pluris apud homines æstimatur, quàm damnum multorum bonorum vel pecuniarum. Dixi,* viro honorato, *quia si secundum rectam rationem non censeretur alicui talis defensio nimis utilis aut necessaria ut pauperi, Clerico, Religioso, vel personæ vulgari, tunc non liceret: nobili autem laico, militi &c. liceret.*

LESSIUS de Just & Jur.l.2.c.9.dub.12.n.77. *Dico 2. fas etiam est viro honorato occidere invasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Ita docet expressè Sotus a.8. Navar.c.15.n.3. & Sylv.v.homicidium.1.q.5. & Lud.Lopez c.62. Antonius Gomez Tom.3.c.3.n.23. Julius Clarus §. homicidium.n.26. ubi dicit periculum famæ æquiparari periculo vitæ. Ratio est, quia hic conatur auferre honorem, qui meritò pluris apud homines æstimatur, quàm damnum multarum pecuniarum: ergo si potest occidere, ne damnum pecuniarum accipiat, potest etiam, ne hanc ignominiam cogatur sustinere.*

ESCOBAR Mor. Theol. Tr. 1. Exam. 7. c.3. Praxis Societ. Jesu 47. *Aggreditur quis virum nobilem seu alapâ seu baculo percutere, licebitne ei occidere prius aggressorem? Affirmat Lessius lib.2.c.9.dub.12.n.77. quia maximum in aliquibus regionibus dedecus est alapas vel baculi verbera absque vindicta relinquere. Limito tamen sententiam ad viros nobiles. Plebeis enim alapæ & verbera parum sunt dedecori.*

MARTINUS BECANUS, Jesuita, Theol. Doctor & Professor in Academia Viennensi, Moguntina, Wurceburgensi Sum.3.par.tr.2.c.64. de homicidio q.8. *Secunda Conclusio. Licitum*

tum est etiam viro honorato occidere invasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat, si aliter hæc ignominia vitari non potest. Ita Sotus a.8. Sylv.v. homicid. 1. q.5. Navarr.c.15.n.3. Lopez.c.62. Gomez l.3.c.3.n.23. & Julius Clarus §. homicid.n.26. Ratio est quia hæc ignominia, quæ fuste vel alapa infertur, censetur majus malum, quam damnum multarum pecuniarum: ergo si potes occidere invasorem, ne damnum hoc accipias, poteris etiam ne ignominiam cogaris sustinere.

FRANCISCUS AMICUS, Consentinus, Jesuita, S.Theol. Doctor & Professor in Collegiis, Aquilano, Neapolitano, Græcensi & Viennensi, Tom.5.disp.36.n.118. *Negari non potest, quin saltem honorem famamq; illam, quæ ex virtute & sapientia nascitur, quiq; verus honor est, justè defendere Clerici ac Religiosi valeant, ac sæpè debeant, cum hic sit proprius professionis ipsorum, quem si amittant, maximum bonum ac decus amittunt. Nam per hunc redduntur summoperè æstimabiles & conspicui secularibus, quos sua virtute dirigere ac juvare possunt: quo sublato nec illos dirigere nec juvare poterunt. Ergo saltem hunc honorem poterunt Clerici ac Religiosi cũ moderamine inculpatæ tutelæ* ETIAM CUM MORTE INVASORIS *defendere: quin interdum lege saltem charitatis videntur ad illum defendendum teneri, si ex violatione propria famæ integra Religio infametur. Unde licebit Clerico vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se vel sua Religione spargere minantem occidere, quando alius defendendi modus non suppetat, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ea vel ipsi Religioso vel ejus Religioni publicè ac coram gravissimis viris impingere, nisi occidatur. Nam si in tali casu licitum est Religioso, ne ipse occidatur, invasorem prius occidere, si fugâ non possit, quia nimirum hostem ante se habet, mortem evadere, licitum quoque eidem erit ad vitandam gravissimam sui suæq; Religionis infamiam, si alius modus non suppetat, calumniatorem occidere. Nam quo jure licitum est seculari, in tali casu calumniatorem occidere, eodem jure licitum videtur Clerico ac Religioso, cum in hoc Religiosus & Secularis sint omnino pares, cum non minus jus in talem honorem habeat Clericus & Religiosus,* quàm

quàm secularis in suum: imò majus, quantò major est professio sapientiæ & virtutis, ex qua hic honor Clerico & Religioso progignitur, quam sit valor & dexteritas armorum, ex qua honor seculari nascitur. Adde quod ut sequenti sectione probabitur, licitum est Clericis ac Religiosis in tutelam suarum facultatum furem occidere, si alius modus eas defendendi non supersit: ergo multò magis id licitum videtur in tutelam famæ & honoris ex virtute & sapientia consurgentis. Verùm quoniam hæc apud alios scripta non legimus, nolumus ita à nobis dicta sint, ut communi sententiæ adversentur, sed sòlùm disputandi gratia proposita, maturo judicio relicto penes prudentem lectorem.

CARAMUEL Theol. Fundam. Fund. 55. §. 6. p. 544. *Quæritur utrum doctrina Petri Navarræ, Sayri, & Francisci Amici quæ allegatur, sit aliqua censura digna? Et ego addo, eandem etiam esse Gordoni de Restit. qu. 4. c. 1. n. 7. Sancii in Selectis disp. 46. n. 8. & aliorum etiam apud ipsos. Et vicissim interrogo, utrum allegari unus possit Theologus, qui in terminis Amico contradicat? Interrogo an Censor ipse qui Amici doctrinam condemnat, auderet in tribunali confessionis jubere (jubere dico, non consulere) opinionem contrariam?* DOCTRINAM AMICI SOLAM ESSE VERAM, ET OPPOSITAM IMPROBABILEM CENSEMUS OMNES DOCTI: *Si qui enim videntur contradicere, mutant casum, & circumstantias alterant, non autem directè opponuntur.*

IDEM ibid. §. 7. p. 551. *Legisti hanc doctrinam, & inquiris: An homo Religiosus, qui fragilitati cedens feminam vilem cognovit, quæ honori ducens se prostituisse tanto viro, rem enarrat, & eundem infamat, possit illam occidere?* QUID SCIO? *At audivi ab eximio Patre N. S. Theologiæ Doctore magni ingenii & doctrinæ viro. (Potuisset Amicus hanc resolutionem omisisse:* AT SEMEL IMPRESSAM DEBET ILLAM TUERI, ET NOS EANDEM DEFENDERE; *doctrina quidem est probabilis, sed qua posset uti Religiosus, & pellicem occidere, ne se infamaret, &c) tu rem accuratè perpende.*

IDEM Theol. Fundam. Fund. 55. §. 6. p. 550. *Hæc omnino viderentur sufficere, sed volo adhuc breviter instantiam adjungere.*

Sic discurro. Conformiùs rationi videtur honorem defendere gladio, quàm mendacio; generosius & sanctius famam defendere occidendo aggressorem, quàm ei falsum testimonium imponendo, cū moderamine tutelæ (id enim semper subintelligitur) at non esse mortale peccatum hoc ultimum, probabile est: ergo illud prius. Majorem probo, quia homicidium ex natura sua malum non est, multi enim interimuntur justè: & mendacium ita malum est, ut nec divinitus dispensari aut cohonestari possit in omnium Thomistarum sententia, imò etiam in opinione Scotistarum plurium, qui putant posse Deum dispensare in aliquibus præceptis Decalogi. Probo minorem etiam, videlicet esse probabile, non peccare mortaliter, qui imponit falsum testimonium alicui, ut suam justitiam & honorem defendat: quia illud est probabile quod asseritur à viris doctis probisq́, & hæc doctrina habet pro se viginti aut plures viros magnos & doctos: qui si dicantur non sufficere, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. Vid. Gasparum Hurtadum disp. 4. de reo diffic. 1. Dicastillum de Just. l. 2. tract. 2. disp. 12. part. 4. dub. 2. n. 404. Dianam part. 9. tract. 8. resol. 43. pag. 356.

LESSIUS de Just. & Jur. lib. 2 c. 9. dub. 12. n. 79. *Tertiò si illata alicui alapa cesses vel etiam fugias, multi Doctores censent in hoc casu, si vir nobilis vel honoratus hujusmodi injuria sit adfectus, posse statim repercutere, vel fugientem insequi, & tantum infligere verberum vel vulnerum, quantum putatur necessarium ad honorem recuperandum. Ita tenet Navar. c. 15. n. 4. Henr. de irregularitate c. 10. ubi citat multos pro hac sententia, inter cæteros Jasonem, Cordubam, Mantium, Pennam, Clarum, Cajetanum & Antonium. Eandem docet Pet. Navar. l. 2. c. 3 n. 380. & citat pro hac sententia Mercatum. Idem tenet Victoria relect. de Jure belli n. 5. ubi dicit eum qui colaphum accepit, posse statim repercutere etiam gladio, non ad sumendam vindictam, sed ad vitandam infamiam & ignominiam, etiam si invasor non esset ulterius progressurus. Unde sequitur si ille fugiat, posse læsum statim insequi & percutere. Si enim potest repercutere manentem, cur non fugientem?*

Pro-

Probari potest hæc sententia. 1. Qui rem meam accipit, & cum ea fugit, potest à me percuti ut eam relinquat, vel reddat, si aliter nequit recuperari: atqui is, qui illata gravi ignominia fugit, honorem meum secum quodammodo defert; nam in potestate illius est, eum mihi restituere, offerendo satisfactionem: ergo possum illum percutere, ut honorem meum restituat, vel saltem ut eum sic recuperem. Dices: est dispar ratio; nam res adhuc exstat & manet tua, sed contumeliâ illatâ honor jam periit: ergo hic non est defensio. Respondeo: In eo est paritas, quod sicut res potest recuperari, ita etiam honor, qui in signis excellentiæ & hominum æstimatione consistit.

2. Probatur; quia si damnum à te rebus meis illatum non posset alia ratione sarciri, quàm tui percussione, posses statim percuti, ut illo modo fiat damni reparatio: ergo si violato honore non potest fieri aliter reparatio, quàm si feriatur is qui eum læsit, poterit feriri. Debet autem hoc fieri in continenti, dum adhuc læsio honoris veluti pendet, suspensis hominum de tua fortitudine & generositate judiciis.

3. Quia aliàs dabitur licentia improbis, quodvis genus contumeliæ in quemvis ingerendi; nam sola fuga vel cessatione tuti erunt, præsertim quando desunt testes, qui eos norint, vel quando non morantur in eodem loco.

Hic tamen adverte, si læsor veniam petat, offendi non posse; quia quantum in se est, honorem restituit. Unde si alter velit ipsum impetere, poterit se tueri, ut rectè notat Petr. Navarra.

80. Ob has rationes hæc Quæstio est speculativè probabilis, tamen in praxi non videtur facilè permittenda. 1. ob periculum odii, vindictæ, & excessus. Si enim D. Augustinus ob has causas ægrè admittit, ut quis pro vita tuenda alterum possit occidere, quantò minus in tali casu ob tuendum honorem concederet? 2. ob periculum pugnarum & cædium: unde qui tali casu occideret, puniretur in foro externo, ut docet Gomez suprà n. 24. etsi mitius; tum quia alter dedit causam; tum quia homo intenso dolore permotus, non est omnino sui compos.

Idem

Idem docent REGINALDUS in praxi l.21. n. 62.
FILIUCIUS Tract.29. c.3.n.51.
LAYMAN l.3.Tr.3.part.3.c.3. n.3.
ESCOBAR Moral. Theol. Tr.1. Exam.7. cap.3.Praxis.48.
An liceat post impactam alapam percutientem insequi & interimere? Aliqui negant, quia id esset injuriam vindicare, non defendere. At LESSIUS lib.2.c.9.dub.12.n.80. licere existimat speculativè, sed in praxi non consulendum ob periculum odii, vindicta, & excessuum pugnarum, & cædium in Reip. perniciem. Alii seclusis his periculis in praxi probabilem & tutam judicarunt. HenriqueZ lib.4.c.10.n.3. Ratio est, quia quamdiu damnum illatum manet in suspenso, semper est locus defensionis, ut patet in eo qui furem insequitur fugientem ad recuperandum ablatum. Nam quamvis honor non sit apud percussorem, sicut ablata res apud furem, potest tamen non secus ac res furtiva recuperari, ostendendo signa excellentia, & æstimationem apud homines captando. An non alapâ percussus censetur tamdiu honore privatus, quamdiu adversarium non interimit?

CARAMUEL Theol.Fundam.Fund.55. §.8. pag. 551. *An licitum sit fugientem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam alapam vel fustem, illumq; vulnerare & repercutere?*

Hanc quæstionem doctissimè & eruditissimè pertractat Diana part.8.tract.7.resol.48. & adducit Patrem Dicastillum, qui de Just. & Jur. l.2.tr.1.disp.10.dub.6.n.74. affirmativam partem judicat speculativè esse probabilem. P. Gasparem Hurtadum qui tract. de Just. & Jure disp. 11. diff.11. mordicus eandem propugnat & ait: (Victoria relect. de jure belli n.5. Navarrus c.15.n.4. Rodriguez c.136.n.11. Mercatus in sum.l.6. Lopez 1. part.c.62. HenriqueZ de irreg.c.10. & Petr. Navarra l.2.c.5.n.380. docent id esse licitum percusso, quantum sit necessarium, ut percussus non maneat ignominia affectus, quod etiam sensit Bonacina de restit.disp. 2.qu.ult.sect.1.punct.10. & meritò, quia statim repercutere sit in actuali ipsa congressione, antequam invasor ad alia divertatur, aut jam alibi quietus existat; quia adhuc saltem moraliter &c. & honor

honor nondum est saltem moraliter in facto esse *amissus, sed tantùm est amissio illius* in fieri, *& inchoatio amissionis, & repercussione amissio honoris non perficitur; quia ex percussione impeditur ne sit in facto esse. Ergo id est licitum percusso.) Hanc sententiam probabilem vocat Diana part.8.Tr.7.resol.48. nam contrariam dicit esse satis probabilem, & semper in praxi consulendam. Non volo examinare, utrum hæc opinio sit probabilis. Malo enim id supponere. Quis enim probabilitatem extrinsecam negaturus erit sententiæ tanto & tantorum scriptorum numero stabilitæ? Quis intrinsecam tantis rationibus firmatæ? sed infero:* Ergo qui fecerit, quod hæc opinio esse licitum docet, non operabitur suadente diabolo, nec poterit probabiliter dici culpam mortalem commisisse.

TANNERUS Tom.3.disp.4.q.8.d.4.n.83. *Assertio* VII. *Licitum est etiam prævenire injustum aggressorem, si & alia via commoda defensionis non suppetat, & is jam actualiter in culpa, seu proposito aggressionis injustæ versetur; secus si sit adhuc innocens. Ita post Anton. Cajetanum, Sotum, Navarrum, Covar. docent Valentia q 17.pun.1. Bannez hic q.64.a.7. Sa v. homicidium. Ratio, quia primo casu est vera defensio, non item secundo.*

Sotus tamen & Lessius dub.12.excipiunt judicem & testes mortem alicui per injuriam machinantes in judicio: quod de foro conscientia loquendo rectè improbat Sa, Petr. Navar. Bannes a.7. dub. 4.

SANCHEZ Oper.Moral. in Decal.l.2.c 39.n.7. *Dubium autem est, an liceat innocenti id duellum acceptare sive offerre, quando certum est fore, ut actor per fraudem ipsum in judicio opprimat, & ejus injustam condemnationem impetret? Quidam neutrum licere ajunt; quod sui defensor ille solus dicatur, qui invitus ad pugnam ab aggressore cogitur. At hic etiam ad duellum provocatus id sponte acceptat. Quare non tanquam sui defensor excusandus est, sed tanquam invasor condemnandus. Ita docent Abulensis 1. Reg. cap. 7. qu. ult. Salon. 2. 2. qu. 64. a.3. Controv. 3.*

Aliis placet licere, quando actum est, innocentem damnandum

ad mortem mutilationemve; secus in aliis casibus. Sed melius alii dicunt, licere huic innocenti duellum ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda, quando constat omnino injustè & per calumniam actorem procedere; & certum omnino est fore, ut innocens hac amittat, nec aliud sibi evadenti remedium suppetat. Quia si hoc duellum rationem defensionis cum moderamine inculpata tutela induit, (ut Doctores secunda sententia fatentur) ea defensio contra invasorem est licita, & pro vita, & pro honore, & pro rebus etiam tuendis. Et ita hanc sententiam tenent Bannez 2.2.q.64.a.7.dub.4. in corpore, & in solutione ad 2. Manuel. 1. Tomo Summa in 2. edit. c.73.n.1. Navarra lib. 2. de restit. c.3. in 2.part.d.13. in nova editione n.289. & 290. ubi meritò rejicit limitationem Cajetani petentis consensum principis. Nam defensio jure ipso naturali absq; alicujus licentia conceditur. Atq; optimè Bannez ait, licere innocenti in his casibus acceptare & offerre duellum ob rationem traditam: imò & non provocando ad duellum, interficere occultè actorem illum calumniosum. Cum hæc occisio sit vera defensio. *Imò bene Navarra eo n.290. ait, teneri innocentem non acceptare duellum, nec indicere, si potest* OCCULTE ILLUM OCCIDENDO *id vita, honoris, rerum familiarium periculum evadere. Quippe sic proprium vita periculum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis, aut acceptantis duellum.*

ÆGIDIUS TRULLENCH in Decal. Tom. 5. lib. 5. c. 1. dub. 4. n. 1. Et QVIDAM THEOLOGUS SOC. JESU, apud Dianam Part. 6. Tract. 8. Resol. 37. *Aliqui existimant, si aliud non suppetat remedium, licere procurare abortum fœtus, tamen inanimati, ad evitandum periculum vita & infamia puella prægnantis, sicut diximus licere ad evitandam mortem naturalem. Hæc autem opinio non omnino placet Diana, & meritò quidem, non tamen videtur improbabilis. Ita Trullench.*

Et tamen non desinam hic adnotare, quod consultus de hoc casu à viro nobili & fide digno, testatus est mihi doctissimus Theologus Societatis JEsu, quem ego scio respondisse, ut suprà dictum est, licitum esse pro salvanda vita & honore puella prægnantis, procurare

rare

rare ejus abortum ante fœtus animationem. Sed adhuc ego non discedo à sententia negativa.

ESCOBAR Theol.Mor.Tr.1.Exam.7.c.3. Praxis 49. *Num liceat contumeliosum, seu profantem* Mentiris *honorato viro, internecare? Negat Azorius tom.3.l.2.c.1.q.17. quia verbales injuriæ verbis possunt repelli. At Baldellus l.3.dub.24.n.24. putat licitum esse occidere contumeliosum, sed in casu quo aliter arceri non potest, ne detur licentia improbitati optimos viros contumeliis afficiendi quam facta acerbioribus.*

REGINALDUS l.21.c.5.n.60. *De 2. difficultate, quod pro defensione honoris si is sit notabilis momenti, licitum sit debito moderamine servato occidere aggressorem, eumve qui illum aufert, sentiunt Sotus in prac.a.8. versus finem, & Navar. in Enchir.c.15. n.3. ac Sylv. in v. homicidium. 1.q.2.v.5. quos sequitur Petrus à Navarra in l.2.de restit.c.3.n.370. ut & Molina de Just. & Jur. Tract.3.disp.17. Ratio vero est, quia si, ut ostendetur in explicatione sequentis difficultatis, tale quid licet ad defensionem rerum propriarum, quæ bona sunt inferiora honore, juxta illud Prov. 22.* Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ, *multò magis licebit ad defensionem proprij honoris, seu depulsionem contumeliæ, ac liberationem ignominiæ, quando nulla alia ratio suppetit. Et confirmatur, quia daretur alioqui licentia improbis optimos quosq; vexandi contumeliis, quæ acerbiores sunt, magisq; mordent animos, quàm damna rei familiaris. Neque vero, ut Petr. ipse de Navarra consequenter addit, refert, an quis honorem auferre moliatur armis, an lingua, & detractione. Adde & an baculo vel alapa: an vero contumeliosis aliquibus signis. Adverte quoq; ista omnia accipi debere cum ea moderatione, quæ habetur in sequenti n.63.v. Cæterum. id est, non videri id in praxi* FACILE *permittendum ob periculum odii, vindictæ, excessus pugnarum, & cædium in Reip. perniciem, quam semper vitare oportet in usu defensionis.*

LESSIUS de Just. & Jur.l.2.c.9.dub.11.n.66.& 72. *Licet occidere furem in defensionem suarum facultatum, si illæ facultates*

sunt magni momenti, nec sit probabilis spes aliter eas recuperandi.

68. Dixi in propositione, si res illæ sint magni momenti; quia pro re minima non videtur concessum jus defensionis cum tanto alterius malo. Etenim valdè iniquum, ut pro pomo, vel etiam uno aureo servando alicui vita auferatur, si tamen tibi verteretur probro, nisi rem furi extorqueas, posses conari, & si opus esset etiam occidere juxta Sotum. Tunc enim non tam rei, quàm honoris esset defensio.

70. Idem dicendum quando in judicio non potest nisi magnis molestiis recuperari.

74. 2. Si re accepta fugias, tunc possum insequi & ferire, vel si necesse sit, eminus telo petere, ut si quis equo meo fugiat. Ita Sotus supra a.8. Sylvest. v. bellum. 2. n. 3. & 10. & alii passim.

ESCOBAR Theol. Mor. Tr. 1. Exam. 7. c. 3 Praxis 44. *Quæsierim quanti valoris debeat esse res, pro cujus conservatione possum furem occidere? Non debet esse res parva, nisi ut defendat fur rem parvam, velit repetentem invadere, vel res parvi momenti in se, magna sit in virtute v.g. lapis medicus, vel tolleretur cum injuria. Lessius lib. 2. c. 9. dub. 11. n. 68. Regulariter autem Molina to. 4. de Justit. tract. 3. dub. 16. n. 7. unum aureum assignat.*

IDEM Th. Mor. Tr. 1. Exam. 7. c. 3. Praxis 96. *Potestne vir nobilis acceptare duellum in nobilitatis defensionem? Potest, si ex illius recusatione honorem aut munia publica esset amissurus. V.g. objicit quis viro nobili innocenti crimen dignum amissione nobilitatis & munerum, quod nisi ille duellum acceptet, probatum censebitur. Ratio est, quia in tali casu acceptatio duelli ad tuendam nobilitatem & munia, medium est unicum. Petrus Hurtado 2. 2. d. 170. sect. 8. §. 76.*

97. Accusator injustus me calumniis afficit, morti addicit, licitumne eum ad certamen provocare? Ita quidem, si non est alia via injustæ mortis evadendæ; quia hujusmodi provocatio locum habet inculpatæ tutelæ. Nihil enim refert quod accusator non per se sed per judicem aggrediatur. Ita Hurtado sent. 9. §. 82. Addit Sanchez Sum. to. 1. l. 2. q. 39. n. 7. TALI IN CASU LICERE ACCUSATOREM OCCULTE OCCIDERE. *98.*

98. An duellũ possit acceptari in temporaliũ bonorũ defensionem? Potest, si non adest alia via tuendi, sive duellum purgativum sit, sive non purgativũ, quia unusquisq; habet jus sua bona tuendi etiam cum inimici internecione. Adhuc Hurtado de Mendoza sect. 8. §. 77.

LAYMAN lib. 3. Tom. 3. Par. 3. c. 3. n. 2. & 3. *Ordinariè non est licitum provocato ad duellum id acceptare. Dixi autem ordinariè. Nam si rarissimo casu eo loco res sita sit, ut miles in exercitu, vir equestris in aula regia, officio, dignitate, Ducis aut Principis favore, ob ignaviæ suspicionem excidere debeat, provocanti se sistat. Non audeo damnare eum, qui meræ defensionis gratia paruerit, juxta doctrinam Nav. c. 15. n. 3. & 4. Idemq; sentiendum, si ad pugnam lacessens alterum, crebra convitia & contumelios adjiciat, qua illa molestia & subeundo dedecore aliter liberare se nõ possit, nisi armis congrediatur. Nam si ob defensionem bonorum hominem mutilare vel occidere fas est, multò magis si ita necesse sit ad defendendũ honorem vel avertendam contumeliam: quandoquidem honor pluris valet quàm fortunæ bona, & injuria personæ major est quàm fortunarum damnum, ut annotavit Nav. cit. n 3. & Abb. in cit. c. olim n. 17. Dummodo spes sit contra injustum adversarium prævalendi.*

HURTADO DE MENDOZA in 2. 2. disp. 170. sect. 9. § 82. apud DIANAM part. 5. tr. 13. res. 26. sic ait: *Licitũ est offerre certamen ei, qui mihi molitur jam mortem injustam. v. g. Antonius mihi falsũ crimen objecit, neq; habeo probabilem spem illũ destiturũ à cæteris diligentiis, sed potius timorem moraliter certũ illas ab eo adhibendas. Item exspectare ut me ille provocet, est mihi multò periculosius; nec possum aliter certam mortem effugere. In hoc casu dico licitam esse provocationem.*

IDEM HURTADO DE MENDOZA referẽte DIANA Part. 5. Tr. 14. Misc. 2. Res. 99. Casũ excogitavit qui facilè potest evenire in praxin doct⁹ Hurtadus de Mendoza in 22. to. 2. dis. 170 sect. 13. §. 106. ubi sic ait: Pone hominẽ nobilẽ ab alio provocari ad duellũ, qui si illud recuset, nõ cẽsebitur illud recusare propter legem Dei, sed propter timiditatẽ; quia nõ bene audit de observatione legis; quia se facile projicit in alia peccata, *vel ce[illegible] ex causa censebitur timidus, & ab aliis despicietur, apud quo[illegible]*

erit inglorius, ex quo non levia damna & incommoda sequerentur.

Est igitur quæstio, utrum in hoc casu possit provocatus exire in locum condictum, non cum absoluta voluntate pugnandi, sed cum conditionata, si à provocatore prius petatur injustè. Provocati autem absolutè voluntas est, tueri opinionem viri fortis, & depellere infamiam timiditatis; quæ objecta per se sunt honesta, necessaria viro nobili ad degendam vitam decorè inter suos, præcipuè militi, qui ab exercitu censebitur gallina & non vir: media autem quæ elegit ad hunc finem sunt indifferentia ad bonum & malum, nempe egredi in agrum, & in eo inambulare, quæ media honestantur ab eo fine. Hæc absolutè vult provocatus. Pugnare autem non vult. Si ab alio petatur injustè, vult sub ea conditione se inculpatè tueri armis, si alia ratione commodè non possit. In hac occasione videtur provocatus minimè peccare, neq; acceptare duellum: quia acceptatio duelli est voluntas deliberata seu absoluta, qua iste homo caret. Idem omnia quæ vult absolutè, sunt licita ex se. Finis item amatur licitè, quia nihil mali eligitur, neq; ex parte finis, neq; ex parte mediorum; quia hæc sunt, egressus in agrum, & in eo inambulatio: quæ autem amantur conditionatè, sunt etiam honesta. Amat enim sub conditione defensionem inculpatam per cædem aggressoris injusti, quando sit medium unicum ad propulsandam violentiam injustam. Solùm potest esse difficultas, quia provocatus videtur esse provocatori causa ruinæ; quia cum provocatum viderit in agro, illum aggredietur injustè, quod non faceret provocato non comparente .....

Hæc omnia Hurtadus, qui per alios §. subsequentes usq; ad 15. conatur sententiam mordicus probare. Verum in fine asserit, hanc sententiam esse speculative probabilem, practicè autem esse valde difficilem. Et tu ne deseras omnino communem sententiam.

GREGORIUS à VALENTIA Tom.3.disp.6.q.16.par.3. p.2039. & seqq. *Dicendum est convenienter doctrinæ communi hos modos (quibus contingit spirituale dari pro temporali, & è contrario, sine simonia) esse duos: primus est, quando temporale*

est

est duntaxat motivum *conferendi vel efficiendi spirituale, aut è contrario. His modis cum spirituale datur pro temporali, vel è contrario, vitatur Simonia. . . .*

Secundo etiam patet non esse Simoniacum, si quis obsequium aut ALIQVOD MUNUS TEMPORALE *Episcopo impendat, spe consequendi ab illo titulo gratitudinis aliquod beneficium spirituale, sicut Doctores communiter tradunt. Nam similiter tunc spirituale non exspectatur ut pretium obsequii, sed ut compensatio gratuita. Item neq; vicissim erit Simonia, si Episcopus, ut se liberet ab obligatione gratuita, sive antidorali, qua tenetur propter acceptum obsequium ab aliquo, conferat ei beneficium spirituale. . . . .*

Breviter tamen ex probabiliori sententia Doctorum, quos postea citabimus, videtur respondendum, in foro quidem conscientiæ has & similes circumstantias (nempe quod spirituale detur principaliter propter temporale, quod interveniat pactum) non efficere Simoniam, nisi quatenus interdum efficiunt, ut temporale sit pretium spiritualis, vel è contrario; atq; adeo ut temporale non sit duntaxat motivum, aut gratuita compensatio spiritualis, vel è contrario. Hoc satis patet ex dictis in quæstione præcedenti hujus puncti. Nam ad Simoniam requiritur, ut interveniat pretium, sicut ex sententia communi rectè docet Sylvester v. Simonia q.3. reg.3. & Cajet. in sum v. Simonia. & Navar. in Man. c. 23. n.100. in fine, & alii communiter. Sed non obstantibus dictis circumstantiis fieri potest, ut temporale non sit pretium spiritualis, aut è contrario, hoc est, ut non ita detur aut fiat unum propter alterum, quasi tanti unum æstimetur quanti alterum . . . .

Dupliciter potest quis conferre spirituale propter temporale principaliter, tanquam propter finem. Uno modo ita ut temporale sit apud eum finis non modo voluntatis & applicationis animi ad actum conferendi spirituale, sed etiam ipsius spiritualis; si videlicet illud temporale æstimet pluris non modo quàm actum conferendi hic & nunc spirituale, sed etiam quam ipsum spirituale quod confert; & tunc omnino committit talis Simoniam. Nam

hoc

hoc ipso quod pluris æstimat temporale quam spirituale, æstimat etiam illud tanti quanti spirituale, siquidem æstimat illud etiam pluris, atque adeo tanti quoque, & eo ipso spirituale pro temporali tanquam pro pretio venditur, in quo consistit perversitas simoniæ . . .

Altero modo potest quis conferre spirituale propter temporale principaliter, tanquam propter finem, ita ut temporale apud eum non sit etiam finis ipsius rei spiritualis, quasi temporale pluris ab eo quàm spirituale æstimetur, sed tantummodo voluntatis sive applicationis animi ad actum conferendi spirituale: & hoc non est Simonia. Nam tunc non propterea vel tanti vel pluris æstimatur temporale, atque spirituale.

ESCOBAR Mor. Theol. Tract. 6. Exam. 2. c. 6. Praxis ex Societatis Jesu Doctoribus, n. 40. *Temporale datur non tanquam pretium rei spiritualis, sed vel ante collationem ad excitandum animum Collatoris, vel postea gratitudinis ergo, an Simonia? Sanchez opusc. tom. 2. lib. 2. c. 3. dub. 23. n. 7. & 8. negat.*

IDEM Mor. Theol. Tr. 6. Exam. 2. c. 2. n. 14. *Simonia ficta committitur, dum quis exterius rem spiritualem pro temporali promittit, vel rem temporalem pro spirituali, absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tradendam: & hæc non est verè simonia, sicut fictum aurum non est aurum.*

SANCHEZ Sum. Casuum l. 2. c. 38. n. 96. *Quod si loquamur de pretio accepto pro hoc judicio ferendo, Gratianus c. Qui habetis. 14. q. 5. docet, pauperibus restituendum tanquam turpe lucrũ. Sed distinguendum est sic. Si nullam operam apposuit, ut arte diaboli id sciret astrologus ille, quod nullo alio pacto sciri potuit, sive effectus evenerit sive non, tenetur pretium restituere danti, quia nullam diligentiam adhibuit, sed casu effectus evenit, aut non evenit. At pecunia datur propter operam ab illo impensam, & quidem utilem ad effectum consequendum; sicut si medicinæ prorsus ignarus ac inutilia ægro applicaret, teneretur pretiũ curationis ægro restituere, quamvis casu liber à morbo evaserit. Et quamvis consulens astrologum in ea re deliquerit, offerens pretium*

tium pro re turpi, verior sententia habet, restituendum ipsi, donec per sententiam condemnetur , ut id pretium amittat. Si vero astrologus ille vel divinator operam suam apposuit, & arte diaboli res ita evenit, non tenetur pretium restituere; quia ipse suam operam etsi turpem apposuit, & acceptum pro opere turpi non est obnoxium restitutioni juxta veriorem sententiam. Atque hæc omnia docent Navarra ibid. n. 163. & 164. & Manuel. 1. Summa. 2. editione. c.7. n.4. Salas 1.2. q.9 a.5. tr.5. disp.2. sect.8. n.79. fine. Adduntq; indistincte teneri pretium restituere, quando res non ita evenit; sed non credo, quando ipse diligentiam adhibuit, arte diaboli ad eum effectum necessarium. Sicut medicus quando juxta artis præcepta medicatus est, non tenetur pretium restituere ægro pereunti; quia ea diligentia à mago illo apposita est pretio æstimabilis. Nec in hoc casu tenetur damna & expensas consulenti restituere, sed tantùm, quando nullam operam impendit, aut ejus diabolicæ artis ignarus erat. Et ita limitandum est, quod n. præced. diximus: quia quando operam suam impendit, non decepit.

LESSIUS de Just. l.2. c.14. d.8. n.52. *Dico I. Si solum jus naturæ spectetur, acceptum ob turpem causam, seu propter opus quod est peccatum opere impleto, non necessariò est restituendum, sive illud opus sit contra justitiam, sive non. 2. Quia etsi opus malum pro quo dedit, non sit æstimabile pretio quà malum, tamen quà delectabile vel utile uni, & alteri detrimentosum, periculosum, laboriosum, inter homines pretio æstimatur: ergo quod hac ratione pro eo est acceptum, non est restituendum; nisi fortè quis communem æstimationem excesserit: ut si meretrix quæ usuram sui concedere solet uno aureo, ab aliquo juvene extorserit quinquaginta tanquam pretium. Hoc tamen locum non habet in ea, quæ putatur honesta, ut si matrona aliqua , vel filia centum aureos pro usura corporis accipiat ab eo qui dare poterat, retinere potest. Nam tanti & pluris potest suam pudicitiam æstimare. Res enim quæ certum pretium non habent, nec ad vitam sunt necessaria, sed voluptatis causa quæruntur, arbitrio venditoris possunt æstimari, ut probabiliter docet Petrus Navarra & alii.*

Notandum tamen est Covar. & Cajet. excipere id, quod acceptum

ceptum est à Judice, ut injustam sententiam ferat: hoc enim putant jure naturæ esse restituendum; quia injusta sententia & perversio judicii non est res vendibilis, sed hæc ratio non est firma; nulla enim est causa, cur magis debeat jure naturæ restitui, quod acceptum fuerit pro iniqua sententia, quàm quod pro iniqua occisione; quod tamen etiam illorum judicio non est necessariò restituendum.

Dico 2. Verius etiam videtur neque jure positivo id necessariò restituendum.

Idem docent MOLINA Disp. 94. & 99.

REGINALDUS, lib. 10. n. 184. 185. & 178.

ESCOBAR Mor. Theol. Tr. 1. Ex. 11. c. 4. Praxis ex Societatis Jesu Doctoribus 96. *Potestne Sacerdos dum accepto stipendio pro altero celebrat, partem sacrificii sibi convenientem alteri applicare, & pro ea stipendium accipere? Posse sentit Filiucius, dum non tanquam pro integro sacrificio, sed pro parte, ut pro una tertia accipiat.*

IDEM Theol. Mor. Tr. 1. Ex 11. c. 4. Praxis Societatis Jesu edit. Lugdun. An. 1644. p. 146. *Satisfacitne præcepto qui eodem tempore audit unam (Missæ) medietatem ab uno, & alteram ab alio? Ita planè ex Sanchez: quia Ecclesia præcipit ut Missa audiatur, duæ autem medietates unam Missam constituunt. Colligo posse te brevissimo temporis interstitio Missam audire; Si quatuor v. g. altaribus variæ Missæ proportionata temporis anterioritate sic celebrentur, ut dum una inchoatur, secunda ab Evangelio tunc in consecrationem procedat, tertia à consecratione in consumptionem, quarta denique à consumptione usque ad terminum.*

BAUNIUS Mor. Theol. part. 1. Tr. 6. de præcepto audiendæ Missæ q. 9. p. 312. *An præcepto de Missa audienda satisfaciat, qui audit partem ex alia Missa, quam ex priore omiserat?*

Dico satisfacere; quia ex duabus illis auditionibus integratur auditio præcepta.... Tertiò satisfit præcepto Ecclesiæ sistendo se Missis duabus modo dicto sic ut pars una unius, alterius altera audiatur, si Ecclesia patiatur & velit præceptum suum hoc modo impleri: at vult, quia citati Doctores ita docent libris impressis, nec

ea

ea reclamat ut deberet, si id non sufficeret, ut rectè docet de Koninch.

Quid si eodem tempore audiantur duæ medietates sacrificii, initium quidem ejus ab eo qui illud incipit, & finis ab illo, qui in alio altari missam absolvit? Reginaldi opinio est, ejusmodi auditione officio non satisfieri .... Contraria sententia est Molfesii To. 1. Tr. 3. c. 17. n. 36. Azor. p. 1. l. 7. c. 3. qu. 3. Antonii Dianæ Tr. 17. & 3. Miscell. Resol. 18. Ratio est, quod Ecclesia tantum præcipit, ut Missa audiatur, at duæ medietates unam Missam constituunt ... Sed hæc sententia quanquam probabilis, tamen in praxi non est sequenda, sed prior.

IDEM Theol. Mor. Tr. 1. Ex. 13. c. 3. Praxis ex Societatis Jesu Schola. 32. *Scio frangentem semel jejunium, non peccare sæpius comedendo: quia Ecclesia à secunda comestione solùm præcipit abstinere. Rogo an eadem sit ratio, si quis vovisset in pane & aqua jejunare? Ita plane. Nam si is semel vinum hausisset in notabili quantitate, non teneretur ab illo amplius abstinere.*

Ibidem 40. *Dispensatione carnibus vescor die jejunii, debeone jejunare? Excusaris, ait Lessius l. 4. c. 2. dub. 6. n. 41. quia ad fragilitatis refectionem confert non solùm cibi qualitas, sed etiam repetitio. Addit: Si dispensatus es eò quod alii cibi tibi noceant, non excusaris ob contrariam rationem. Ego cum Henriquez l. 7. c. 13. n. 12. absolutè à jejunio libero dispensatum ad carnes; quia abstinentia ab his est de essentia jejunii.*

Ibidem 45. *An defessus ex quocunque labore licito vel illicito obligationi jejunandi subjaceat? In licito v. g. pilæ defatigatione, & in illicito v. g. cum feminis commistione: Aliqui asserunt delinquere qui prævidit tali labore reddendum inhabilem ad jejunium. Alii putant absolutè liberandum à lege jejunii; quia quo die obligat præceptum jejunii, jejunare non potest, quando vero laborabat licite aut illicite, jejunii præceptum non illigabat.*

46. *Excusanturne ab Episcopalibus jejuniis Regulares? Ita plane; quia Tridentinum obligans ad festa Episcopalia Regulares, haut efficit de jejunio memoriam. Suarius de Rel. 4. l. 4. c. 20. n. 8.*

67. *Dormire quis nequit nisi sumpta vespere cœna, teneturne*

jejunare? Minimè. Si sufficit manè collatiunculam sumere & vesperi cœnare, teneturne ad id? Non tenetur. QUIA NEMO TENETUR PERVERTERE ORDINEM REFECTIONUM. Ita Filiucius.

72. *Anticipatur sine causa hora comedendi die jejunii, solviturne? Minime; quia determinatio hora non est de essentia jejunii: at delinquetur venialiter, nisi sit exigua anticipatio, ut dimidia. Sic Filiucius. Colligo Religiosos habentes privilegium anticipandi prandium per horam posse sine ulla culpa per horam & dimidiam ante meridiem prandere.*

FILIUCIUS Mor. Quæst. To. 1 Tr. 7. n. 354. *Secundò quæro, quo pacto confessor explorare possit dolorem pœnitentis? Respondeo & dico 1. Confessorem non posse licitè absolvere eum, qui non est bene dispositus ad recipiendam absolutionem.*

Dico 2. Hæc dispositio in duobus est posita. Primò in displicentia præteritorum: secundò in proposito futuri. Primò ergo ad explorandam displicentiam tria observanda sunt. Primùm quando ex modo se accusandi pœnitens præbet signa doloris, vel pœnitens est bene moratus, & serio se accusat, id satis est, ut sibi Confessor possit satisfacere. Secundum, bene semper faciet proponendo & consulendo detestationem peccati. Tertium quando non habet signa sufficientia doloris, debet interrogare an ex animo detestetur, etsi affirmat potest & DEBET CREDERE.

Secundò ad explorandum propositum. Primum, eadem sufficiant quando est generalis tantum obligatio non peccandi: si vero adsit peculiaris obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem proximam, dicam sequenti dicto. Secundum, non proponat Confessor difficultates multas in peccatis vitandis, unde pœnitens constituatur, in periculo non habendi efficax propositum in futurum; satis enim est proposita generaliter peccati fœditate, Dei bonitate, & periculo damnationis, inducere pœnitentem ad concipiendum generale propositum non peccandi amplius mortaliter. Tertium, non est necesse ut Confessor sibi persuadeat aut probabiliter judicet futurum, ut pœnitens à peccato abstineat: satis est quod existimet, pœnitentem, quando est absolvendus, habere propositum

positum illud generale quod diximus, quamvis illud sit per breve tempus mutaturus. Ita omnes Autores ex Suare disp. 32. sect. 2. n. 2.

FRANCISCUS SUAREZ, Jesuita, in 3. Part. Tom. 4. disp. 32. sect. 2. n. 2. *In quo est secundo observandum, hanc dispositionem pœnitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentia præteritorum, & proposito in futurum. Et quidem quod displicentiam attinet, facile sibi potest satisfacere Confessor; quia si pœnitens in ipso modo confessionis & accusationis suæ præbet signa doloris, vel certè si est homo non valde rudis, & apparet moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur Confessor adhibere: bene tamen semper faciet proponendo & consulendo detestationem peccati: & quando non habet sufficientia signa doloris, potest & debet interrogare pœnitentem, an ex animo detestetur peccatum, cui affirmanti* CREDERE TENETUR. *Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex Confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solùm communis & generalis obligatio non peccandi de cætero.*

BAUNIUS Theol. Mor. Par. 1. Tr. 4. de pœnit. q. 15. p. 137. *Dubitatur 12. an circumstantia recidivæ sit confitenda? Teneri pœnitentem consuetudinem peccandi confiteri, si à Confessario interrogetur, tenent Vasquez, Henriquez lib. 1. c. 8. quia consuetudo (inquiunt) peccandi arguit in pœnitente propositum infirmum emendationis, maximè si hoc oritur ex proxima peccandi occasione, quam pœnitens tenetur resecare. Contrarium docet Sancius in select. disp. 9. n. 6. & hæc opinio priore videtur esse probabilior, & sequenda in praxi 1. Quia Confessarius jus non habet interrogandi pœnitentē de consuetudine peccandi, nisi eius rei gravem causam habeat, quæ raro accidit. Deinde non est in ejus jure afficere pœnitentem dedecore, cognita ejus peccandi consuetudine, sed debet eum statim absolvere, si dolorem de præteritis concipit, cum proposito futuræ emendationis.*

IDEM Theol. Mor. Par. 1. Tr. 4. de Pœnit. q. 14. p. 93. & 94. *An absolvi possit qui est in proxima occasione peccandi, quam non vult omittere? Sciendum est primo, occasionum alias, remo-*

tas esse, proximas alias; sunt illæ, quidquid homini potest esse causa peccati; istæ autem, id est proximæ, ut habent Nav. c. 23. num. 14. Graff. primo decision. c. 8. n. 4. Sanchez. Tom. 1. Moral. l. 1. c. 8. sunt id solum, quod in se est peccatum mortale, vel quod ex genere suo ac natura est tale, ut frequenter homines similis conditionis ad mortale inducat, & experimento constat, talem effectum in illis habere ut plurimum; unde Confessarius concludere prudenter potest, nunquam aut rarò tali occasione pœnitentem usurum sine mortali culpa, habita ratione tam loci, quàm temporis & aliarum circumstantiarum, quæ ad peccatum inducunt. Quo supposito.

Dico 1. regulariter absolvendum non esse, qui est in occasione peccandi proxima.... Dixi, reguláriter; quia ex multorum sententia cuique licet exponere se periculo peccandi, cum de aliena salute, eaque promovenda agitur. Ita Castrus Palaus in Opere Morali To. 1. Tr. 2. punct. 9. §. 3. n. 13. & 11. salis in 2. part. D. Thomæ. Tr. 8. disp. un. sect. 5. n. 60. Basil. Pont. de Matrim. l. 5. c. 35. n. 4. ajunt posse omnes ad infideles expeditionem facere, ut conversioni eorum dent operam cum manifesto peccandi periculo; licere item singulis lupanar ingredi ad odium peccati ingenerandum meretricibus, etsi metus sit, ac vero etiam verisimilitudo non parva eos peccaturos, eò quod malo suo sæpe sunt experti, blandis se mulierculαrum sermonibus ac illecebris flecti solitos ad libidinem. Quod etsi Lopez... aliique non probent...., etsi inquam in ea sint opinione Doctores, ut existiment nefas esse, proximi juvandi causa ultro salutem suam in discrimen vocare, nihilominus eorum ego lubens subscribo sententiæ, qui secus quàm illi opinantur. Hi sunt Basil. de Matrim. in appendice cap. 6. Eman. Sa v. peccatum. D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 9. (Il faut remarquer que cette citation de S. Thomas est tres fausse: Observari oportet hanc D. Thomæ allegationem esse falsissimam). *Quin etiam tradit Basilius ubi supra, occasionem &* PRIMO *&* PER SE, *quæri posse, ob bonum nostrum aut proximi, tam* TEMPORALE, *quàm spirituale.*

SANCIUS in select. disp. 10. n. 20. apud DIANAM 5. part. Tr. 14. resol. 108. *Infero negandam non esse absolutionem ei, qui*

suæ concubinæ, quam domi habet, mutuò dedit centum aureos; quorum recuperandorum spes nulla supererit, si domo illam ejiciat. Vel è contra si femina non recuperatura esset centum sibi debita, si domum concubinarii desereret. Dictum est enim supra, quod nullus tenetur occasionem proximam vitare cum magno suo detrimento, nec tunc dicetur velle occasionem, sed permittere; cum non abigere occasionem, non oriatur, quia velit pœnitens in illa permanere; sed quia velit non incurrere damnum, quod abjecta occasione obveniret. Unde nec tenebitur domo ejicere concubinam, si concubinario sit nimis utilis ad lucrandum bona temporalia media negotiatione. Sicut enim qui dives est, & officio laborioso fungitur, ut ferrarii vel lignarii, adstrictus non est in die jejunii ab officio cessare, nec qui ad nundinas properat, tenetur in die festo Missam audire, si ob id occasio accedendi elabatur, quantumcunque intendat ad nundinas ire causa augendi lucrum: sic nec concubinam ejicere erit obnoxius concubinarius, si ex ejectione magnum emolumentum esset non acquisiturus. Sufficiet enim proponere deinceps non peccare. Imò etsi concubina, nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, *dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur, ejicere illam non erit concubinarius obligandus; quia oblectamentum dictis circumstantiis consideratum est majoris æstimationis, quam quodcumque bonum temporale, ob quod fas erit cuique de novo admittere feminam ad sui famulatum, quantumcunque metuat labendi periculum, si aliam non inveniat paris qualitatis illis in rebus, quæ sibi sunt maximè utiles: si namque ob hanc causam jam receptam expellere non constringitur, eodem jure de novo admittere illam erit concessum.*

BAUNIUS Theol. Mor. Par. 1. Tract. 4. de Pœnit. q. 14. p. 94. *Dico 3. eum, qui est in occasione proxima peccandi, absolvi posse, si dolorem de præteritis habeat, firmumq; propositum non peccandi in posterum, & simul justam causam non deserendi prædictam occasionem .... Probatur autem assertio 1. quia cum est justa causa exponendi se peccandi periculo, pœnitens nec occasionem*

vult

vult expreſsè & actu, nec peccatum ex ea conſequens; ſed commodum ſuum, nempe privationem damni in fama, honore, pecuniis: quo non frueretur, ſi occaſionem prædictam omitteret aut vitaret .... Vel præceptum de evitanda occaſione eſt affirmativum, vel negativum: ſi primum, in neceßitate non obligat: ſi ſecundum, non intelligitur vim habere, niſi in caſu, quo quis voluntariè ſe in eam occaſionem conjicit; quod non facit, cum juſtam cauſam eam non vitandi habet, juxta Laym. ſupra. Deinde cum occaſio peccandi nec ex ſe, nec omnibus ſit mala, ſed huic tantum, non poteſt in claſſem eorum operum redigi, quæ ex natura ſua & à quocunq́ fiant, ſemper ſunt mala & nunquam admittenda: & proinde non valet hoc axioma in materia occaſionum: Præceptum negativum obligat ſemper & pro ſemper; cum in iis verſari liceat ſecundum Lud. de Beia proximè citatum, quando ratio aut honeſta aliqua cauſa ſuadet eas non vitare, cum præteritorum dolore, & firmo propoſito non peccandi iterum. Quin etiam tradit Baſil. ubi ſupra, occaſionem primo & per ſe quæri poſſe, cum eſt aliqua cauſa eam volendi ob bonum noſtrum, aut proximi, tam temporale quam ſpirituale.

Sequitur ex dictis 1. abſolvi poſſe feminam, quæ domi ſuæ virum excipit, cum quo ſæpe peccat; ſi eum honeſtè inde non poteſt ejicere, aut cauſam aliquam habet eum retinendi, dummodo firmiter proponat ſe cum eo amplius non peccaturam. Beja. & Nav. loc. citatis.

IDEM Theol. Mor. Par. 1. Tr. 4. de pœnit. q. 15. p. 96. *Secundum, an adoleſcenti, qui gravia ad confeſsionem peccata adfert, maximè verò pollutiones crebras & tactus, impertienda ſit abſolutio* TOTIES QVOTIES? *Omnino, ſi eum ſincerè prætérita vitæ pœnitet, ſtatuitq́ libidini frenos injicere, ac à modò non peccare. Ratio præter citatas antea eſt, quod nec lapſu in culpam frequenti, nec ſpecifica ratione ipſius peccati, de quo agitur, abſolutione indignus cenſeri debeat. Non primo; quam enim multos alit Eccleſia, qui ſe ferè in horas ac momenta ſingula gravibus culpis commaculant, quibus tamen ad gratiam Deus reditum abſolutione non negat? Non ſecundò, quia ab infirmitate naturæ,* levita-

levitate ingenii quæ pueris est agnata, multum de gravitate culpæ detrahi est certum. Nihil est ergo rationis, quamobrem toties quoties hi ejus pertæsi, ac certi de ea non iteranda ad sacerdotis pedes advoluti absolutionem ab eo sibi dari petent, illā non recipiant. An autem differri absolutionem interdum expediat, res est in opinione Doctorum. Differendam censent Azor tom. 1. l. 9. Inst. c. 28. q. 18. Lopez 1. part. Instr. c. 282. Ters. sed quid si. Laym. supra. Dico ego, mihi videri rem committendam esse judicio Confessarii, qui spectatis loci, temporis & personarum circumstantiis de re universa statuet, prout ad Dei gloriam ac pœnitentis bonum expedire judicaverit: & quidem si aliquid operæ studiique ad correctionem vitæ præteritæ pœnitens attulit, veroque dolore de peccatis tangitur, hunc absolvendum illico, nec remittendum ad tempus futurum puto; quia verendum esset, ne ea prorogatio noxa ei foret, ac majorum scelerum causam daret, videndo se rejectum ad tempus aliud, quod Confessario inprimis est vitandum, cui pœnitentium salus curæ esse debet.

Quid si sæpe admonitus nihilominus non sapit? Quid si de emendanda vita promissa non fecit? Quid si in expurgando animo, tollendaque peccati consuetudine non laboravit? Indignum eum esse cui ad gratiam aditus per absolutionem pateat, dixere Ledesma to. 2. summa tr. 1. c. 9. Lopez 1. part. Instr. c. 282. VERA SENTENTIA *eaque tenenda habet, ne tunc quidem absolutionem ei negandam esse, dummodo dolore necessario instructus, ad confessionem vitæ melioris consilium afferat, de quo Sacerdoti, quantum fas est humanitus, ex signis aut ejus ore voceque constet. Sic Sanchez to. 1. Moral. l. 2. c. 32. n. 45.*

IDEM Theol. Mor. Par. 1. Tract. 4. de Pœnit. q. 22. p. 100. *An danda sit absolutio confitenti sæpe eadem peccata sine spe profectus? Negandam asserunt Azor tom. 1. l. 2. c. 3. q. 4. Suarez tom. 4. disp. 32. sect. 2. Graff. lib. 1. decision. c. 28. n. 23. Navar. c. 3. num. 11. Contraria sentiunt Vivaldus in Candelab. tit. de absolut. §. casus reservati. n. 43. Sancius in selectis disp. 10. n. 16. Diana Tract. 16. miscel. 2. resol. 45. Dico 1. Etsi pœnitens*

consuetudinem peccandi habeat, jurandive, aut aliud simile quid admittendi, contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, non est tamen ei neganda absolutio, si verè eum admissorum pœnitet, ac emendandi sui propositum habet. Ratio est, quod pœnitens post factam Confessionem cum dispositione ad gratiam necessariis, jus ad absolutionem habeat: non est hæc ergo ei neganda, alioqui fieret illi injuria, nec differenda sine ejus voluntate ac consensu.

Dico 2. nec negandam nec differendam ei, ETSI EMENDATIONIS FUTURÆ SPES NULLA APPAREAT. *Primò, quia cum defectu talis spei concurrere possunt omnia, quæ ad absolutionem sunt necessaria, nempe confessio integra, dolor de peccatis, ac propositum firmum ac stabile ea vitandi in posterum. Secundo, quod quis culpam venialem, in quam sæpe labitur, non modo non corrigat, sed nec speretur correcturus, hoc non impedit, quò minus dictus pœnitens ab ea possit absolvi, quando ad confessionem afferet dolorem idoneum cum proposito sufficienti: at eadem est ratio peccati mortalis quoad hoc, quæ venialis: ergo ut hujus neganda non est absolutio, ita nec illius.*

Majorem admittunt adversarii; quia relapsus in peccata venialia non est signum, inquiunt, defectus propositi ad eorum remissionem necessarii, cum hoc possit contingere ratione frequentium occasionum peccandi, quas non ita tenemur vitare in venialibus ac in mortalibus. Minor probatur. Non minus oportet pœnitentem de peccatis suis venialibus conteri, ac proponere ea vitare, quam mortalia, maximè si non confiteatur nisi unum veniale; quia defectus alterutrius reddit sacramentum invalidum & inutile. Ergo cum ex adversariorum sententia dari debeat absolutio de veniali, quamvis occasio ejus admittendi non sit præcisa, impertienda est quoque, inquit Sancius supra, respectu mortalium, quando aderit dolor & verum propositum ea cavendi in posterum, quia jus ad absolutionem pœnitenti competit, & ad eam dandam nihil necesse est Confessarium scire, an pœnitens sit in occasione peccandi necne, dato quod eam vitare nequeat, eo quod eum teneatur absolvere, sive occasionem cognoscat, sive non.

ESCO-

ESCOBAR Tr. 7. Ex. 4. n. 91. *Ob malum æternum debet quis pœnitere? Ita planè, ut attritio sufficiat cum sacramento. Annon sufficit ob malum temporale v. g. salutis corporeæ nocumentum, bonorum amissionem &c. Negat Suarius disp. 20. sect. 2. quia aliàs sequeretur, peccatorem posse se disponere ad sacramentum & illius effectum solis naturæ viribus. At Hurtado citatus distinguit: si quis doleat de peccato, propterea quod Deus in pœnam illius malum temporale immisit,* SUFFICIT: *si autem doleat sine ullo respectu ad Deum, non sufficit.*

HURTADO DE MENDOZA De sacr. disp. 6. de Pœnit. diff. 5. apud DIANAM Part. 4. Tr. 4. Misc. Resol. 193. *Aliqui docent, & merito, attritionem & dolorem peccatorum ob malum temporale cum respectu ad Deum, à quo immissum aut immittendum est in pœnam, id est dolorem de peccato; quia Deus immisit aut immittet dictum malum (ut revera fieri potest, quia quodcumque malum quod non sit culpa à Deo immittitur) sufficere ad effectum sacramenti pœnitentiæ, non vero ob malum temporale, ut aliunde proveniens, vel eventuram absque respectu in Deum.*

AMICUS Tom. 8. disp. 3. n. 13. *Ex dictis deducitur, primò non modo dolorem peccati propter gehennæ metum, sed ob quascunque pœnas à Deo infligendas, etiamsi temporales sint, ut propter pœnas purgatorii, corporis ægritudines, damnum & amissionem bonorum temporalium, esse sufficientem dispositionem cum sacramento pœnitentiæ ad justificationem.*

Sequitur alia etiam farrago Assertionum Probabilitatis fundamento innitentium, à Parochis Parisiensibus ex Caramuele, Mascarenhas & Escobario collecta, & Clero Francico exhibita Anno 1656. d. 14. Novemb.

CARAMUEL Theol. Fund. p. 132. *Opinio cujus nec veritas nec falsitas demonstratur, si sit valde verisimilis, nominatur probabilis; & quidem probabilitas nascitur ex gravi motivo, quo quis ad assentiendum inducitur; & est duplex: Rationalis, Authenticaque. Illa consistit in ratione: hæc in Autorum numero.*

Sive dicatur altera propositio altera verior, sive non, in probabilitate admittere gradus debemus, & asserere alias propositiones esse probabiliores, & alias minus probabiles. Omnes opiniones probabiles sunt secundum se æquè tutæ. Benigniores etiamsi minus probabiles, per accidens sunt securiores.

Sed quid requiritur, ut sententia probabilis sit à ratione? Ut non sit evidenter falsa, &c.

Et quid ut sit probabilis ab autoritate? Ut defendatur à probis & doctis: Sed quot? .... Stando communi Doctorum sententia, ad probabilitatem authenticam sufficiunt quatuor.

Ut una opinio sit probabilis, alterutra probabilitas sufficit: neutram habere debet quæ improbabilis. Probabilitas etiam minor excusat coram Deo.

IDEM p. 137. *Communis Theologorum sententia postulat quatuor Autores in re quæ à multis tractatur: in hoc enim saltem omnes conveniunt, quod opinio quatuor Autorum sit probabilis. Sed contra ego hanc rationem efformo, quæ solutione huc usque caruit. Quidquid testantur quatuor Autores, est probabile. Sed ad probabilitatem non requiri quatuor Autores, quatuor testantur, imò viginti, aut plures. Ergo opinio unius Autoris est probabilis.*

IDEM p. 138. *Quid est demonstrare rem esse illicitam? Demonstrare eandem non esse probabilem, Definitione XIV. libri Pacis n. 1. p. 4. sic inquam: Qui rem esse dicit illicitam, ad multa tenetur. Primò enim debet ostendere rationes, quæ malitiam probant, esse demonstrativas; nempe tales, quibus dari responsio probabilis non possit. Secundò debet etiam ostendere rationes, quæ bonitatem probant, ne quidem probabiles esse. Ostendet si omnibus ad unam dederit solutionem, quæ evidenter sit vera. 3. Etiam debebit evidenter ostendere partem illam quæ bonitatem adstruit, non habere sufficientes autoritates, ut dicatur probabilis. Hæc omnia tria simul ostendere ille debet, casurus causa, etsi duo ex illis ostendat, modo unum non ostendat.*

IDEM p. 39. *Quidam Episcopus in Belgio interdixit Ant.*

Diana

Dianæ resolutiones; jussitque ut nemo venderet, emeret, legeret, aut haberet. Et Bibliopolæ sollicitè interrogabant, possetne liber ille interdici?

Respondi illis .... Si Dianæ libros Episcopus ille interdixit ut merces, viderint Consules & Reip. Patres, ad quem pertineat interdicere merces .... Si eosdem interdixit ut nocivos per accidens, nullam injuriam Dianæ intulit, & suo fuit usus jure: nemo enim in sua domo tenetur tolerare librum etiam bonum, qui suis sit perniciosus per accidens. Quod si illos condemnavit, hic jam haberent docti aliquid, quod patienter tolerare non possent: non enim damnari possunt libri, qui à doctis leguntur, approbantur, laudantur.

IDEM p. 393. *Has ego syntheses subjeci examini, ne mea sensa producerem, sed grandium potius Theologorum sententias, quas rejicere sit temerarium, cum impossibile sit probabilem condemnare sententiam; & impossibile eam non esse probabilem, cui multi Doctores subscribunt. Qui enim propositioni à multis viris doctis assertæ neget probabilitatem, hic negat lineæ longitudinem, superficiei latitudinem, & corpori profunditatem: hic negat definitionem definitio competere. Nam propositio probabilis, si agamus de Authentica probabilitate,* QUA THEOLOGIAM NOSTRAM STABILIMUS, *illa est, quæ ab aliquibus magnis viris asserta.*

In hunc scopulum impegit quidam præcipuè Antistes, qui simul admittebat easdem propositiones esse Doctorum plurium & easdem improbabiles esse: sed quid faciemus, aut dicamus homini incapaci doctrinæ! Qui enim hunc errorem non percipit, ut verum addiscat est incapax.

IDEM p. 89. *Nulla ex prædictis synthesibus aliter potest sua probabilitate privari, quam si contradictoria transeat in articulum fidei. Patet, quia opinio probabilis est, quæ à magnis & multis defenditur. Et tamen humanitus non poterit fieri, quod illi Doctores, qui subscribunt, multi aut magni non sint. Vel finge quemcunque casum possibilem præter definitionem Ecclesiæ: congre-*

Sive dicatur altera propositio altera verior, sive non, in probabilitate admittere gradus debemus, & asserere alias propositiones esse probabiliores, & alias minus probabiles. Omnes opiniones probabiles sunt secundum se æquè tutæ. Benigniores etiamsi minus probabiles, per accidens sunt securiores.

Sed quid requiritur, ut sententia probabilis sit à ratione? Ut non sit evidenter falsa, &c.

Et quid ut sit probabilis ab autoritate? Ut defendatur à probis & doctis: Sed quot? .... Stando communi Doctorum sententia, ad probabilitatem authenticam sufficiunt quatuor.

Ut una opinio sit probabilis, alterutra probabilitas sufficit: neutram habere debet quæ improbabilis. Probabilitas etiam minor excusat coram Deo.

IDEM p. 137. *Communis Theologorum sententia postulat quatuor Autores in re quæ à multis tractatur: in hoc enim saltem omnes conveniunt, quod opinio quatuor Autorum sit probabilis. Sed contra ego hanc rationem efformo, quæ solutione huc usque caruit. Quidquid testantur quatuor Autores, est probabile. Sed ad probabilitatem non requiri quatuor Autores, quatuor testantur, imò viginti, aut plures. Ergo opinio unius Autoris est probabilis.*

IDEM p. 138. *Quid est demonstrare rem esse illicitam? Demonstrare eandem non esse probabilem, Definitione XIV. libri Pacis n. 1. p. 4. sic inquam: Qui rem esse dicit illicitam, ad multa tenetur. Primò enim debet ostendere rationes, quæ malitiam probant, esse demonstrativas; nempe tales, quibus dari responsio probabilis non possit. Secundò debet etiam ostendere rationes, quæ bonitatem probant, ne quidem probabiles esse. Ostendet si omnibus ad unam dederit solutionem, quæ evidenter sit vera. 3. Etiam debebit evidenter ostendere partem illam quæ bonitatem adstruit, non habere sufficientes autoritates, ut dicatur probabilis. Hæc omnia tria simul ostendere ille debet, casurus causa, etsi duo ex illis ostendat, modo unum non ostendat.*

IDEM p. 39. *Quidam Episcopus in Belgio interdixit Ant.*

Diana

Dianæ resolutiones; jussitque ut nemo venderet, emeret, legeret, aut haberet. Et Bibliopolæ sollicitii interrogabant, possetne liber ille interdici?

Respondi illis.... Si Dianæ libros Episcopus ille interdixit ut merces, viderint Consules & Reip. Patres, ad quem pertineat interdicere merces.... Si eosdem interdixit ut nocivos per accidens, nullam injuriam Dianæ intulit, & suo fuit usus jure: nemo enim in sua domo tenetur tolerare librum etiam bonum, qui suis sit perniciosus per accidens. Quod si illos condemnavit, hic jam haberent docti aliquid, quod patienter tolerare non possent: non enim damnari possunt libri, qui à doctis leguntur, approbantur, laudantur.

IDEM p. 393. *Has ego syntheses subieci examini, ne mea sensa producerem, sed grandium potius Theologorum sententias, quas rejicere sit temerarium, cum impoßibile sit probabilem condemnare sententiam; & impoßibile eam non esse probabilem, cui multi Doctores subscribunt. Qui enim propositioni à multis viris doctis assertæ neget probabilitatem, hic negat lineæ longitudinem, superficiei latitudinem, & corpori profunditatem: hic negat definitionem definitio competere. Nam propositio probabilis, si agamus de Authentica probabilitate,* QUA THEOLOGIAM NOSTRAM STABILIMUS, *illa est, quæ ab aliquibus magnis viris asserta.*

In hunc scopulum impegit quidam præcipuè Antistes, qui simul admittebat easdem propositiones esse Doctorum plurium & easdem improbabiles esse: sed quid faciemus, aut dicamus homini incapaci doctrinæ! Qui enim hunc errorem non percipit, ut verum addiscat est incapax.

IDEM p. 89. *Nulla ex prædictis synthesibus aliter potest sua probabilitate privari, quam si contradictoria transeat in articulum fidei. Patet, quia opinio probabilis est, quæ à magnis & multis defenditur. Et tamen humanitus non poterit fieri, quod illi Doctores, qui subscribunt, multi aut magni non sint. Vel finge quemcunque casum poßibilem præter definitionem Ecclesiæ: congre-*

gentur universi Europæi, docti, indocti, magni, parvi; *non tamen poterunt facere aut verè definire viginti non esse viginti, aut viros eximios & summarum Academiarum lumina non esse magnos. Videas igitur quàm stupidè TITIUS contra tot Academiarum illustrissimarum soles fuerit ausus. Et invidiæ ignoranti condoleas.*

IDEM p. 652. de Secreto. *Scripsit eruditissimum tractatum* DIANA *de Confessionis sigillo (est partis quintæ undecimus) & in toto severissimè philosophatur, & merito: injuriæ enim sunt Christo & sacramento omnes laxæ sententiæ, quæ in hac materia circumferuntur. Utinam cum agitur de sacramentali sigillo esset bona consequentia hæc:* Opinio laxa condemnatur à DIANA: Ergo est improbabilis; *ego enim nihil scribere aut vociferari deberem: at quidquid DIANA & alii clament, opiniones contrariæ dicuntur manere probabiles, & petram offensionis non tolli; & ideo unam aut alteram quæstionem adjungo, &c.*

IDEM p. 545. *Puto hanc debere positionem admitti. Quando occurrit materia, de qua in terminis & exprofesso unus solus Autor gravis tractavit, ejusdem Autoris resolutio dicenda est moraliter certa (hoc est omni probabiliore securior) quousque dentur Autores etiam graves, qui in terminis illam impugnent; tum enim remittet certitudinem & incipiet esse Probabilior, æquè probabilis, minus probabilis, prout adversariisint pauciores, vel plures; & tunc demum improbabilis erit, cum ab universis rejicietur. Cum igitur hanc quæstionem in terminis tractarint pauci, omnesque stent ab AMICO, nemo in terminis contra: (nam DIANA, ut statim videbimus, contra non est, & ut esset, solum inde sequeretur, utplurimum contrariam etiam esse probabilem, quod non admitto, & demonstrabo inferius; qui enim AMICI doctrinæ contradicunt, inconvenientia politica assignant; ac si ex veritatis notitia non orirentur quotidie in aliis materiis plurima inconvenientia) sequitur resolutionem AMICI esse certam & indubitatam ab extrinseco.*

IDEM p. 549. *Anne eadem doctrina (AMICI de occidendo calum-*

calumniatore poterit admitti stando jure civili aut canonico. Respondeo hanc quam modo proponis esse quæstionem de facto, nec à speculatione pendere. Addo AMICI doctrinam esse novam & legibus vulgatis JUNIOREM, atque adeo nihil de illa à Pontificibus, aut Regibus fuisse dispositum.

CARAMUEL p. 549. *Dices ex hac doctrina multa suboriri inconvenientia, & ideo rejiciendam esse. Et respondeo hanc, ex aut tali assertione magna pericula & damna suboriuntur, ergo est falsa, non esse bonam consequentiam.... Hinc est quod ego judicem, summa inconvenientia sequi ex multis opinionibus quæ hodie circumferuntur, nec tamen ideo illas improbabiles esse. Multa enim suboriuntur ex restrictionibus mentalibus; multa ex occultis compensationibus; multa ex licentia occidendi injustum judicem aut testem, quam nonnulli concedunt; multa etiam ex illa opinione, qua docet de occultis non judicare Ecclesiam; multa ex aliis; quibus tamen non obstantibus inconvenientibus illæ sententiæ in terminis, quibus hodie in scholis traduntur, sunt ut minimum probabilissimæ, & à nemine damnari possunt.*

IDEM p. 550. *Hinc patet Logicam reformari debere, & totam illam Dialecticæ partem, quæ à simili, ab exemplo, à minori ad majus, à majori ad minus, ab impossibili, ab inconvenienti, ab absurdo, & innumera alia, quæ ab Autoribus passim traduntur, in Moralibus claudicare, & expungi, aut rescribi debere. Hanc ego ob causam Moralem Grammaticam, Moralem Logicam, & Moralem Philosophiam scripsi, quas præmittam Novæ totius Theologiæ Moralis editioni, quam apparo.*

IDEM p. 552. *Non volo examinare, utrum hæc opinio sit probabilis? (licitum esse fugientem insequi ad recuperandum honorem propter acceptam alapam vel fustem, illumque vulnerare & percutere.) Malo enim id supponere; quis enim probabilitatem extrinsecam negaturus erit sententiæ tanto & tantorum scriptorum numero stabilitæ? Quis intrinsecam tantis rationibus firmatæ? Sed infero. Ergo qui fecerit quod hæc opinio esse licitum docet, non operabitur suadente diabolo, nec poterit probabiliter dici culpam mortalem commisisse.*

IDEM

IDEM p. 550. *Probo Minorem etiam, videlicet esse probabile non peccare mortaliter, qui imponit falsum testimonium alicui, ut suam justitiam & honorem defendat: quia illud est probabile, quod asseritur à viris doctis probisque; & hæc doctrina habet pro se viginti aut plures viros magnos & doctos, qui si dicantur non sufficere, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. Vide Casparum Hurtadum disp. 4. de reo. diffic. 1. Dicastillum de Just. l. 2. tract. 2. disp. 12. part. 4. dub. 2. n. 404. Dianam part. 9. tract. 8. resol. 43. p. 356.*

IDEM p. 202. *Ut Judicem integerrimum agas, inquiris primò, An punire illum possis, qui secutus opinionem probabilem? Secundò, An excommunicari possit inobediens, si pro se opinionem probabilem habeat? Tertiò, An qui occiderit ob defensionem vitæ? Quartò, An qui occiderit ob defensionem honoris? ... Et ad omnia dubia respondeo negativè.* HÆC OMNIA MIHI CLARA ET CERTA.

IDEM in Commentario in Reg. S. Benedicti l. 1. n. 65. *Petrus secutus opinionem benignam probabilem, non satisfecit mandato sui Abbatis in casu, in quo probabiliter non tenebatur obedire, & probabilius tenebatur. Prælatus subscribens sententiæ severiori judicat illum debuisse obedire, ac propterea peccasse. Petitur, an possit contra illum procedere, & punire tanquam inobedientem?*

66. *Sublato omni scandalo & aliis extrinsecis inconvenientibus, quæ communiter in talibus casibus reperiuntur; si id acciderit, ut ponitur, putà si secretò contigerit, aut coram doctis, qui scandalum pati non possunt sine causa; respondeo Petrum non peccavisse. Addo posse Prælatum subscribere alterutri opinioni, ac propterea censere Petrum habuisse obligationem obediendi, sed illam invincibiliter ignoravisse ductum opinione probabili. Nihilominus temere judicat Prælatus eum peccasse, quia improbabile est eum peccare, qui sequitur opinionem probabilem, ut num. 59. ostendi. Cum ergo improbabile sit Petrum peccavisse, injustus erit ille Antistes, qui contra illum procedet: quia ubi non est culpa, nec medicina est opus nec pœna.*

IDEM

IDEM in Epistola ad Anton. Dianam. p. 24. *Quibus autem posteriores (sententiæ mitiores) arrident, non solùm milites sed VIRGINES etiam appellantur. Sed cur? Exponam breviter. Navarrus & quotquot internam attentionem requirunt, in officio divino verbi gratia, considerata vivacitate humani ingenii, concludunt, vix aut ne vix quidem posse hominem satisfacere sine aliqua distractione veniali: Sic de præceptis aliis pariformiter philosophantur: at nos, qui contrà generosè sentimus, & sensum nostrum armato ratiocinio firmamus, non solum milites, sed et VIRGINES sumus; possumus enim ita Horis, aut aliis etiam Ecclesiæ præceptis satisfacere, ut ne in levem quidem culpam labamur. Prò latio enim & quæcunque alia extrinseca operatio, est facillima; & humanæ Principum leges (Ecclesiasticæ aut seculares sint) non præcipiunt internas. Porrò conscientia quæ sine veniali operata est, Virgo est; & fortissima miles, quæ vinci non timet, nam invita non potest. Sic sentimus, & quia hac nos conducit Regularis hic Agnus, dum philosophamur, generosè & clementer, sequimur* AGNUM (*nimirum* DIANAM) *quocunque ierit. Certi enim sumus, tanto illius dogmata Theologorum firmari numero, ut quærenti, an hoc aut illud liceat? sufficiat respondere,* ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ, *hoc est,* DIANA DIXIT.

IDEM p. 134. *Solent aliqui angi scrupulis & suadere, solent etiam præcipere viam tutiorem in materia probabili. At ipsi videbantur mihi non percallere Probabilitatis essentiam & ideo in Commentario meo in Regulam D. Benedicti Disp. 6. de Opinione probabili n. 58. & 61. duas Theses posui. Prima erat:* Omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ & securæ. *Secunda:* Benigniores etsi sint aliquando minus probabiles, per accidens sunt semper utiliores & securiores. *Rationem dedi: & quia est solidissima, nec formam nec materiam mutabo. Primam ego sic probo: Illa opinio est tuta & secura in conscientia, quæ si juxta illam exactè opereris, te liberabit à mortali & veniali: at hæc æquè præstabit quæcunque probabilis opinio: Ergo quæcunque est æquè tuta & secura. Secundam sic: Inter duas opiniones, aliàs æquè tutas & securas, si exactè opereris illa tutior & se-*

curior dicenda adhuc erit, juxta quam certius præscire poteris te operaturum exactè: Atqui hoc habent sententiæ benigniores: cognita enim humana fragilitas, nos in suspicionem ac diffidentiam nescio quam inducit, cum proponuntur res arduæ & difficiles, quæ abest aut cessat cum proponuntur faciles. Rem exemplo dilucido. Debeo legere Officium divinum: & quia duæ dantur opiniones probabiles; altera, quæ internam attentionem requirit, altera quæ non requirit; tametsi sit verior & certior hæc posterior, ponamus uberioris doctrinæ gratia, internam attentionem probabilius requiri. Sed quam tunc opinionem habebo? Tutiorem ais. Acquiesco; at interrogo, utra sit tutior? Porrò si exactè, juxta severiorem operaturus sum, utraque est æquè tuta: & si attentionem internam habuero, seu priorem, seu posteriorem sequar, non peccabo. Sed quis me securum & tutum reddet de attentione? quis spondebit mihi, me sine distractione Horas Canonicas recitaturum? Ergo prævideo periculum non ortum ab opinione severiore, sed à propria fragilitate; periculum tamen quod severiorem opinion m comitatur, & adesse benigniori non potest. Ergo benignior, etsi supponatur esse minus probabilis, est securior & tutior. Rem eandem illustro aut exemplo altero, aut priori ulterius nonnihil promoto. Sic discurro. Habes opinionem severam. Bene est. Provolueris ad pedes meos, & statim fateberis distractiones in oratione & officio venialiter ut minimum peccaminosas. Propones scrupulos, & te non rarò relegisse aliquas horas dices, quia debitam attentionem habuisse non putabas. Audio patienter singula, & interrogo, an vel unica die legeris officium Canonicum sine distractione veniali? aut certò aut probabilius negas, dicesque vix id esse possibile viro ingenioso & multis negotiis implicato. Finem imponis confessioni, & absolveris. Surgis, & oro ut me sacramentaliter audias. Acquiescis, & meas ego culpas (heu nimis multas!) quas possum contritione confiteor, & de officio divino ne quidem verbum ego. Petis an non peccaverim in horarum lectione? & respondeo, Me tota hebdomade, toto mense, toto anno &c. legisse sine culpa veniali: & me non peccavisse venialiter,

nialiter, tam certò ſcire, ut poſſim juramento firmare. *Annon miraberis? annon pia quadam devotione invidebis? Omnino. Sed unde ego hanc immunitatem obtinui? Reſpondebo. Homo ſum temetipſo fragilior, præditus acri & igneo ingenio: uno momento cœlos verſo, altero ad ſubterranea trāſeo. Nulla in oratorio movetur muſca, quæ mihi non ſit impedimento. Attendere lectioni deſidero, & quam poſſum attendo, ſed diſtractiones non evito; involuntarias millies, interdum etiam* voluntarias: & nihilominus nullo crucior ſcrupulo, nullo dubio angor, quia prudenter ſuppono, me ad actionem internam non teneri: eam habere bonum eſſe, & ea carere, nequidem eſſe levem culpam; me ad lectionem tantùm & attentionem externam obligari. *Me legiſſe totum quod Rubricæ jubent, certò ſcio; ita certò ut poſſim jurare.* Ergo me ne venialiter quidem peccaviſſe in hac materia certo ſcio, & ita certò ut poſſim jurare. *Habeo igitur immunitatem, ſecuritatem & tranquillitatem, quibus cares, & quas habere poteris, cum volueris. Eſt enim tibi liberum deſerere opinionem probabilem quam habes, & contrariam opinionem amplecti. Hæc certa ſunt & valde notanda in praxi.*

IDEM CARAMUEL p. 143. *Has ego Theſes tanquam certas aſſumo.*

Prima. Qui ex duabus opinionibus probabilibus nunc ſequitur alteram, poteſt ſequenti momento licitè tenere alteram. Hanc judico luce meridiana clariorem. Sed neque illam non admittit Lugo; ait enim num. 48. Ego tamen non facilè id concedam: & aliud eſt, me judice, unam propoſitionem non concedere, & aliud illam quidem concedere, ſed non facilè: Quam differentiam altè intelliget, qui legere hiſtoriam ſequentem dignabitur. Vidi ſemel ingenioſum & doctum ſubditum neſcio quid à ſevero Abbate poſtulare. Negat iſte: inſtat alter iterum iterumque: & tunc Abbas: Concedo licentiam, quam poſtulat; ſciat tamen me illibenter hoc facere. Et illi ſubditus: Nunquam ego petii quod libenter hanc licentiam concederet, ſed quod concederet. Ergo ſimiliter ad noſtrum caſum. Hanc Theſin concedit Lugo, ſed non facilè; Et ego ajo, modo illam concedat, me non curare, utrum illam concedat facile, vel non facile.

Secun-

Secunda. Ex hac libertate nullum præjudicium tertii sequitur, & multa inconvenientia & damna tertii consequuntur. Nullum sequi præjudicium ostendo; quoniam qui suo utitur jure, etiam cum damno tertii, nemini præjudicat: est enim præjudicium non qualecunque damnum sed illatum injustè. At omnia illa inconvenientia quæ enumerat Lugo, ex hac doctrina sequi certum est, justè tamen.

Tertia. Hæc est mala consequentia; Ex hac doctrina magna inconvenientia sequuntur; ergo non est probabilis. Patet, quia ex certissimis & evidentissimis propositionibus magna damna aliquando sequuntur, & nihilominus sunt veræ.

Quarta. Hæc propositio, Ecclesia quæ jejunium, officium divinum, &c. præcepit, compræcipit ne quis mutet sententiam probabilem eo casu, quo ex tali mutatione hæc præcepta posse non observari sequeretur, est falsa. Cum vidit Lugo ex natura rei manere libertatem mutandi opinionem probabilem, confugit ad superius præceptum. Sed hoc effugium nullum est; quia habere hanc vel illam sententiam, est actus merè internus, nec humanæ autoritati subditus. Et si diceretur Ecclesiam de occultis judicare, fortè adderem Ecclesiam compræcepturam fuisse, ne quis casu posito opinionem mutaret, si hic casus fuisset illi propositus; nam aliud est, Ecclesia præcepit, & aliud, Ecclesia præcepisset si prævidisset hoc. CERTUM EST ENIM PRÆCEPTA HÆC ESSE ANTIQUISSIMA, ET HAS SUBTILITATES AB ANNIS PAUCISSIMIS MOTAS. *Dico igitur veteres Legislatores hæc inconvenientia non prævidisse. Suspicor eos, si illa prævidissent, laturos fuisse aliquam legem circa mutationem dictaminis probabilis; non quæ respiceret actum purè internum, sed quæ opus externum, puta si Ecclesiasticam diem juberent juxta primum horologium servari. Addo ejusmodi legem nondum latam. Et subjicio motus novis dubiis, & novis cognitis inconvenientibus, expedire ut nova lege Ecclesia veterem legem propugnaret.*

Quinta. Qui inivit contractum merè probabilem, si suo jure cessit, tenebitur stare contractui; aliàs non. At si mutet dictamen,

men, inquies, procedet in præjudicium tertii. Nego præjudicium, & concedo liberè tertii vel jacturam, vel damnum: quoniam si tertius hoc prævidit, & adhuc inivit contractum, sibi imputet, qui socium potuit strictius obligare, & omisit: Si non prævidit hoc damnum, enumeret inter infortunia, quæ ignoranter frequentissime incurrimus, & solam accuset ignorantiam.

IDEM p. 139. *Propono alterum. (Petrus die Sabbathi, sub mediam noctem, ut primum audivit duodecimam, comedit carnes, & postquam satur excessit è mensa, audivit aliud horologium significans horam duodecimam. Die sequenti communicare vult, & sic discurrit. Horologia habent opinionum probabilium virtutem. At ego comederam ante quam tale Horologium sonuerit. Ergo probabile est quod comedi ante duodecimam: Ergo probabile quod sim jejunus. At opinioni probabili conformare conscientiam possum: Ergo potero communicare.) Et volo scire cur communicare non possit; nam stando doctrinæ præcedenti potest: & ego in toto hoc Petri discursu, quod possim aut negare aut reprehendere, non invenio.*

IDEM p. 138. *His principiis insistens proposui casum difficilem in Comm. in Regulam S. Benedicti Disp. 117. n. 1446. quem ex dictis poterit quicunque resolvere. Ille erat (Paulus ingressurus navim majoris commoditatis gratia contulit secum Diurnale subscribens Thomæ Sanchez in sum. Tom. 1. c. 19. n. 8. affirmanti legentem ea quæ continentur in Diurnali, officio divino satisfacere. Postquam autem solverunt è portu, mutavit dictamen, & secutus sententiam Joan. Sancii in select. disp. 15. n. 2. asserentis, in Diurnali non contineri integrum officium divinum, ac proinde carentem Breviario, licet Diurnale habeat, non teneri legere officium divinum; illud non legit.) Sed quomodo respondendum hanc difficultatem proponenti? In loco citato hæc scripsi. (Ut exactè respondeam, opus est omnes circumstantias expendere. Paulus primò Sanchezii sententiam sequebatur, & bene faciebat, quia est GRAVIS autor ac probabilis ejus sententia. Ex vi hujus dictaminis, potuit sine culpa gravis scrupulo relinquere*

 Breviari-

Breviarium in terra, & solum conferre Diurnale. Secundò asseritur Paulus mutasse dictamen, & hoc humanum est & rationale. Homo non est suarum opinionum mancipium. Cum probabile dictamen mutat, utitur sibi cælitus concessa libertate, & bene facit. *Fidei orthodoxa, dogmatibus, demonstrationibus ac principiis per se notis subest ingenium: probabilibus sententiis* superest. *Ideoque quam liberè sententiam Sanchezii approbavit, tam liberè potuit illam dimittere. Potuit igitur Paulus sine conscientia scrupulo mutare dictamen; & valedicens uni Autori, sequi alterius opinionem probabilem. Tertio dicitur Paulus voluisse uti Diurnali, & defectu Breviarii multis diebus, quibus in navi fuit, horas non recitasse: nec tamen peccavit mortaliter; operabatur enim juxta conscientiæ dictamen, quod erat probabile ac prudens, subnixum Sancii autoritate.*

IDEM p. 144. *Sed quid si Paulus cum habuit primum dictamen, etiam habuit simul intentionem illud mutandi? Negat hanc mutationem posse fieri Cardinalis de Lugo, &c. Hæc dicta sunt in opinione admittentium actus voluntatis virtuales & interpretativos, quos permulti negant. Quod si partem probabiliorem sequaris, & adseras, non dari interpretativas volitiones, &c..... Suppositionem debebis admittere..... Dices quando Paulus ingressus est navim, voluit mutare dictamen? Ergo voluit non legere. Patet quia ex mutatione dictaminis inferebatur lectionis omissio. Ergo peccavit graviter: quia mortifere peccat, qui vult non legere cum potest, & Paulus antequam è portu solveret, poterat conferre Breviarium & legere. Multa hic confunduntur, quæ expenderem, nisi timerem censeri nimis prolixus. Respondeo itaque concedendo, Paulum, cum ingrederetur navim, voluisse mutare dictamen: & distinguo Consequens. Voluit ergo non legere, hoc est omittere horarum lectionem, quam tunc judicaturus erat obligatoriam, nego: illam quam tunc judicaturus erat non obligatoriam, concedo. Ergo peccavit graviter; Nego subsumptam consequentiam. Ut enim actio non sit peccaminosa, correspondere debet prudenti dictamini, non futuro aut præterito,*

terito, sed illi quod est præsens, quando illa fit; omissio autem officii divini, licet esset contra dictamen, quod habiturus erat Paulus, cum lectionem erat omissurus.

IDEM CARAMUEL p. 205. *Nolo examinare an judicet de occultis Ecclesia? Negativam esse probabilem sententiam suppono; & inquiro, an posito quod non judicet de illis quæ sunt per se occulta, judicet de occultis per accidens? Respondent communiter, quod sic. Et tamen ego volo videre unam rationem, quæ probet Ecclesiam non judicare de occultis per se; quæ tamen non æquè probet, eandem non judicare de occultis per accidens. Ideo, inquiunt, Ecclesia non judicat de occultis per se, quia illa non potest cognoscere per se: ergo ipsa per accidens carebit autoritate judicandi de illis, quæ cognoscere non possit per accidens; eundem enim effectum, quem causa per se dat per se, causa per accidens dat per accidens. Nam si ignis est calidus per se, & opponitur frigori per se, aqua dum est calida per accidens opponitur frigori per accidens.*

Ut hanc doctrinam firmem, produco DIANAM, qui part. 2. tract. .12. resol. 2. interrogat, An qui voluntariè distractus horas recitat, præcepto Ecclesiæ, *& capiti* Dolentes *satisfaciat? Respondetque benignè & doctè; & ut responsionem suam firmet, utitur hoc argumento. (Nemo potest præcipere aut vetare, quod non potest punire: sed non potest punire, quod non potest cognoscere & judicare; sed Ecclesia extra confessionē non potest cognoscere & judicare actus internos: Ergo dicendum, quod non potest eos præcipere aut vetare.) Et ex his fundamentis statim argumentis oppositæ sententiæ satisfacit.*

At ego doceri à DIANA velim, an hoc eodem argumento, quo attentio interna excluditur, non possit etiam æquè excludi lectio occulta privata? Peto, an quando non dantur testes & arbitri, teneatur aliquis legere Horas Canonicas privatim; Respondet Titius negativè, ingenio DIANAE (imò aliorum qui ejus sententiam amplectuntur) usus aut abusus sic inquit..... Nemo potest præcipere aut vetare, nisi possit punire; & nemo potest punire,

nire, nisi possit judicare: & nemo potest judicare, nisi possit cognoscere. Ergo si res sit per se & essentialiter incognoscibilis, erit per se & essentialiter injudicabilis, per se & essentialiter impunibilis, & per se & essentialiter impraeceptibilis. Ergo si res sit per accidens incognoscibilis, erit per accidens injudicabilis, per accidens impunibilis, atque etiam per accidens impraeceptibilis. Atqui lectio Horarum occulta, & etiam omissio ejusdem lectionis occulta per accidens est incognoscibilis; (superior enim, qui externos subditorum actus verè occultos & secretos cognosceret, non esset jam homo, sed Angelus.) Ergo per accidens est injudicabilis. Ergo per accidens est impunibilis. Ergo per accidens est impraeceptibilis. Ergo per accidens accidit superioribus, quod non possint interdicere actiones aut omissiones secretas & occultas per accidens. Huic rationi addit vires Tridentinum Concilium sess. 24. c. 1. Ibi enim agit de inconvenienti plurimo, quod ex matrimonio clandestino suboritur; & ait: Cui malo cum ab Ecclesia, quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, &c. Ex quibus verbis hoc potest argumentum formari. (Ideo Ecclesia de clandestino Matrimonio non judicat: Ergo illa occulta, de quibus illa non judicat, non sunt tantummodo occulta per se, sed etiam occulta per accidens: quia matrimonium clandestinum non est occultum per se, sed per accidens.

Videtur huic subscribere opinioni Escobar. Moral. Theol. Tract. I. Exam. 7. c. 3. Nam secutus Sanchez, Comitolum, Fagundez & Sa, docet eum, qui ex occulto duellum respicit, non incurrere in excommunicationem.

Bone Deus, si haec opinio semel admitteretur, actum esset de tota aut ferè superiorum autoritate. Subditi obedirent ad oculos, & privatim omnia mandata (Ecclesiastica aut secularia) temerarent. Nemo peccaret, qui secretò comederet carnes diebus Veneris: nemo qui diebus jejunii secretò comederet tertiò vel quartò: nemo qui secretò omitteret officium divinum. Nimia omnia & improbabilia, ET TAMEN LEGITIME ILLATA EX DO-

DOCTRINA PROBABILI: *Ut video* EX HAC DOCTRINA ORIRI IN NOSTRIS SCHOLIS POSSIT INDEPENDENTIUM ILLA HÆRESIS, *quæ ab annis pauculis inficit Angliam. Quærenda igitur est ratio probabiliore certior, quæ hanc doctrinam perniciosam debellet. Ergo, Theologe Lector, me juva. Ergo vel mihi ostende, cur antecedens non sit probabile, aut cur consequens sit probabile: aut tandem ostende errorem in argumentationis nostræ forma, quoniam doctior esse desidero, nec aptos Magistros invenio.*

CARAMUEL p. 216. *Si me amas, Lector, & Doctrinæ consequentiam sectaris, responde obsecro mihi, anne possim simul eodem tempore duabus ejusdem præcepti partibus satisfacere? Asserent omnes, qui tenent me posse simul tempore audire duas Missæ partes. Vide* DIANAM *p. 2. tr. 17. resol. 18. Infero:* Ergo *si eodem tempore possumus, etiam eadem actione. Concedisne omnia?* Ergo *prosequere, & responde sequentibus.*

P. 217. *De confessione & communione annua: An unica duorum annorum obligationi satisfaciat? Præcepit* Ecclesia, *ut singulis annis confitearis, & sanctam* Eucharistiam *recipias; & determinat ad tempus, nimirum à Dominica Palmarum ad Dominicam Quasimodo.* Ergo *his diebus poterit Petrus communicare, ut satisfaciat præcepto anni elapsi. Ergo his etiam diebus poterit, ut satisfaciat præcepto anni futuri. Ergo si bis communicet, semel pro anno priori, & semel pro posteriori, duobus præceptis & pro duobus annis satisfaciet. Admittuntur istæ tres consequentiæ communiter. Sed quid, si semel tantùm communicet? Anne unica ille communione pro duobus annis satisfaciet? Probabilissima est assertiva sententia.*

Ibid. de lectione diurna: *An unica lectione aliquis duorum obligationi satisfaciat? Multum debent Dialecticæ cæteræ Facultates, & Theologia Moralis plurimum; multæ enim opiniones in illa sola rationis paritate probantur. Peto igitur, utrum ille, qui vespere Matutinas & Laudes recitat, duorum dierum satisfaciat obligationi? Ante quæstionis resolutionem suppono primò, posse*

Ecclesiasticos vespere sine mortali culpa legere Matutinas & Laudes diei præsentis sequentisque..... Satisfaceretne utrique penso, si semel tantùm legeret Matutinas & Laudes? Patientiam habe in me & omnia reddam tibi....

Opinio prima affirmat simplicem Matutinarum & Laudum lectionem, si fiat sub vesperum, duorum dierum obligationi satisfacere; & probat: quia una & eadem actione potest Philippus simul satisfacere duobus præceptis numero distinctis eodem tempore concurrentibus ....

Huic ex diametro opponitur sententia altera, asserens non posse eadem recitatione satisfieri utriq; obligationi.

P.220. *Prima ratio timet abusus, & morum aliquam deformationem, sed perperam: quoniam sequi rationem probabilem, nec abusus, nec relaxatio, sed virtus est. Virtus enim est obligationi satisfacere, & qui operatur probabiliter, satisfacit obligationi.*

Secunda ratio autores potius respicit, quam Syllogismos. Sed etsi nemo subscribat asserenti sententiæ, quis huc usq; propugnavit negantem? Ergo æquè singularis erit qui negat, atq; ille qui asserit, quousq; autorum numerus alterutri parti faveat.

P.222. *Proposui hanc doctrinam eximio cuidam Doctori Jesuitæ, Theologiæ Moralis à multis annis professori, & hic Pragæ docenti; & respondit, sibi videri benignam sententiam probabilem. Ejus nomen non exprimo, scio enim malle eum in pace vivere, nec morderi ab indoctis, quam ab ingenii perspicacitate collaudari. Ergo pro illa sit iste primus autor. Sit secundus Caramuel. Fortè alii accedent; & quæ probabilis est ab intrinseco, ab extrinseco erit etiam aliquando probabilis. Forte etiamnum est probabilis ab extrinseco benigna opinio; est enim nova, & solùm à nobis tractata; habet pro se duos Autores, & contra se nullum: & quia hoc verum, cur non erit probabilis?*

Hæc omnia disputando dicta sint. (Nam etiamnum proderit hoc lapide frangere dentes invidiæ.) Tu, amice lector, ne festines, sta severiori sententiæ: quousq; pro benigniori quatuor vel sex autores habeas.

P. 225.

P. 225. *Non est animus approbare aut improbare istam sententiam (de audiente simul duas medietates Missæ) sed notare quæ debeat consequenter admittere meus Diana, si Dialecticam amat.*

Rationis puritas nos deduceret ad officium divinum: nam juxta mores & Rubricas Monasticas, in officio solenni habemus 12. Lectiones, & totidem responsoria, quæ non recitat communitas, sed audit tantum. Ergo si sint 24. Religiosi in choro, & singuli dicant simul lectionem & responsorium, satisfacient præcepto legendi 12. lectiones, & totidem responsoria.

Quando duo legunt simul, non erit opus ut alter alterum exspectet; sed poterit alter incipere versum sequentem, antequam alter præcedentem absolvat: quoniam potest simul se & socium audire; nec est cur ad attentionem & auscultationem recurras? quia attentionem internam non esse necessariam putamus.

In officio divino nonnulla pluries repetuntur: anne hæc toties deberent repeti? Respondi olim in Commentario in Regulam S. Benedicti, esse probabile singulas horas, singulis respondere præceptis, esse certum, unico actu hominem posse diversis præceptis satisfacere; adeoq; si semel in una hora dicatur Pater, Ave, &c. quæ in horis diversis repetuntur, non debere in aliis recitari.

Si cui Rosarium legere præciperetur, hoc est qvindecies Pater, & centies quinquagies Ave diceret, quia singula Pater, & singula Ave diversis præcepti partibus correspondent: & si possumus stando Dianæ resolutioni, eodem simul tempore diversis præcepti partibus satisfacere; anne hæc omnia Diana admittet? Non puto. Quid ergo? Vel hæc omnia debebit transglutire, vel à principali opinione discedere?

P. 252. *Quia Basanomenus Lutheranorum filius est in Lutherana urbe natus, inter Lutheranos nutritus, Magistros habuit & Prædicantes Lutheranos, sic ubi primum P. Valerianum Magnum Capucinorum decus, & alios audivit inculcantes, vel esse redeundum ad Romanam Ecclesiam, vel recedendum à Christo; fervidè insurrexit, & dixit: Christianismus probabilissima re-*

ligio est, & sub ipso dantur secta antiquiores, juniores, severiores, benigniores, universaliores, minus universales, & pracipuè Romana, Lutherana, Calviniana) QVÆ SUNT VERE PROBABILES: *ergo mihi Lutherano non est necessariè redeundum ad Romanam Ecclesiam, aut secedendum à Christo; nam præter Romanam religionem, cui probabilitatem non nego, etiam Lutherana est Christiana, & probabilis, & multo Romana benignior.* *Vim rationis jam penetras; jam vides quò respiciat Hæreticus. Tenet primò esse probabile, quod Deus mentiri nequeat; secundò esse probabile, quod revelarit sacram paginam, & si velit, ut sic loquar, dictaverit; tertiò esse probabile, quod eandem Romana Ecclesia bene exponat; & tamen addit, iis non obstantibus, harum Antitheses esse probabiles. Resolutionem hanc sic ille confirmat & dilucidat. Doctrina Aristotelis, inquit, prout hodie traditur, in Academiis Italicis, Hispanicis, Gallicis, probabilissima est; nec contra hanc ipsam probabilitatem militat mundi æternitas, & animæ rationalis mortalitas; nam isti & similes errores sunt expuncti, nec jam traduntur à Christianis Philosophis. Hæc ipsa doctrina & schola Aristotelis in tres sectas dividitur, Thomisticam, Scotisticam & Nominalem; omnes probabiles, omnes celebres, omnes plausibiles. Dicant Dominicani (Nostra schola Aristotelica est & antiquior Nominali & Scotistica: ergo redeundum ad ipsam, vel secedendum est ab Aristotele) Quid inde? Nam à Franciscanis ridebuntur, qui æquo jure reponent, (Vel admittendam esse Scoti scholam, vel relinquendum Peripatum) tunc enim argumentatio urgeret, cum vel una sub Christo religio, vel una sub Aristotele schola demonstrationes produceret; nam si una secta demonstraretur esse vera, reliquæ demonstrarentur esse falsæ; & in nostro casu, ait Basanomenus, omnes has Religiones (Romanam, Lutheranam & Calvinianam)* ESSE CHRISTIANAS ET PROBABILES JUDICO, *& omnes has Scholas, (Thomisticam, Scotisticam & Nominalem) esse Aristotelicas & probabiles censeo; & hanc ob rem ratiocinio illo disjunctivo, vel redeundum est ad Romanam Ecclesiam, vel secedendum est à Christo, convinci aut*

ci aut urgeri non possum. Nec antiquitatem ipse, & Concilia Generalia morabitur; hæc enim, ut ait, probabilia argumenta & non evidentia ministrant; quoniam schola Aristotelis Christi religione multò antiquior; & Academia Peripatetica multò numerosiores magistros habent, quam Generalia Concilia; & si licet P. Magno doctrinam Peripateticorum de errore & tyrannide arguere, cur non licebit Basanomeno esse & cautiori? cur non dicere, Romanam quidem Ecclesiam esse probabilissimam, adeoq; in foro interno esse securissimam; & tamen hoc ipso non obstante, Lutheranam, quam ipse profitetur, esse etiam probabilem, atq; æquè Christianam & securam, imò securiorem omninò, QVONIAM MINUS PROBABILIS SENTENTIA, SI BENIGNIOR, ETIAM SECURIOR EST? *Cur non licebit addere, se esse in quieta conscientia apud Lutherum, adeoq; nec teneri redire ad Ecclesiam Romanam, nec à Christi religione secedere?*

Sic discurrit etiam Basanomenus: & deberet à te, Lector erudite, compesci. P. Valerianum Magnum audivit, & alios audire desiderat.

Antequam vero hanc dubitationem proponeret Caramuel, hæc præmiserat verba: *Ad solamen illorum, qui in Germania habitant, & multos viros, aliàs probos, infectos dolent hæresi, aliquas periodos scribo, & veriùs ex selectissimis Autoribus exscribo.* Adde his, quæ ad Epistolam V. ex Erado Billio, Jesuita, notat Wendrockius.

Seqvuntur Propositiones ex MASCARENHAS, Jesuitæ, libro excerptæ, edito Anno CIϽ IϽC LVI. in Gallia, & D. Virgini dedicato, à qua, ut Autor profitetur, hæc dogmata ipsi fuerint inspirata.

MASCARENHAS Tract. 5. n. 491. *Dicendum absolutè est, Missam de præcepto non esse necessariò audiendam ab uno eodemq; sacerdote, sed posse audiri ab uno v. g. usq; ad consecrationem, & ab alio à consecratione usq; ad finem .... licet transverso ordine prius audiat ab uno sacerdote partem Missæ posteriorem, & postea ab alio partem priorem.*

Et ratio est, quia qui ita facit, verè audit integram Missam (quamvis non unam, sed partes duarum) quod tantum præcipitur. Et confirmatur, quia cum Ecclesia sciat suas leges ita à gravibus Doctoribus explicari, hoc ipso quod eorum explicationes permittit publicè imprimi & doceri, censetur suum præceptum secundum eas moderari.

Sed ratione hujus doctrinæ quæres, utrum satisfaciat præcepto, & non peccet mortaliter ille, qui simul & in eodem tempore audit duas partes Missæ à duobus sacerdotibus, quorum unus Missam incipit, dum alius medium absolvit; hoc est, audiendo simul & in eodem tempore à primo sacerdote principium Missæ usque ad consecrationem & à secundo à consecratione usque ad finem Missæ? Multi & graves Doctores asserunt sic facientem peccare mortaliter, & non satisfacere præcepto audiendi Missam. Nihilominus tamen contraria opinio docens talem non peccare, & satisfacere præcepto, est probabilis. Et ratio est, quia ad hoc ut una opinio sit probabilis, debet fundari in autoritate, seu in ratione: sed hæc opinio non solùm fundatur in autoritate, sed etiam in ratione: ergo & probabilis. Quod fundetur in autoritate, patet; quia illam docet P. Hurtadus disp. 6. Bonacina punct. 11. n. 13. Molfesius in sum. tom. 1. tract. 3. c. 17. n. 36. fine. P. Azor. part. 1. l. 7. c. 3. q. 3. Diana par. 1. tr. 17. resol. 18. & part. 5. tr. 14. n. 52. & alii. Quod autem fundetur in ratione, etiam probatur; quia ut ait P. Azor citatus, quod attinet ad attentionem, potest quis ad utrumque animum intendere; & Ecclesia, cujus est præceptum audiendi Missam, non præcipit, ut Missa audiatur ab uno Sacerdote, sed simpliciter præcipit Missam audire, & duæ medietates Missæ constituunt unam Missam; & licet Missa debeat audiri secundum suum ordinem, tamen hoc non est de necessitate præcepti, ut dictum est supra n. 492.

Probatur 2. illa ratione adducta supra n. 491. quia Ecclesia scit, hoc ita à multis Doctoribus explicari: ergo eo ipso quod tales explicationes permittit publicè imprimi, & doceri, censetur suum præceptum secundum eos moderari. Et quamvis P. Ægidius q.

83. ar.

33. ar.6.dub.4.n.288. asserat, hanc rationem in hoc casu non militare, sicut militat id casu supra n. 1. assignato; quia ut ille asserit, non eodem modo loquuntur Doctores de uno casu, ac de alio: tamen postquam scripsit P. AEgidius, scripsere doctores suprà citati, qui eodem modo loquuntur de uno casu, ac de alio: ergo &c.

IDEM Tract. 4. de sacrosf. Euch. Sacram. Disp. 5. c. 7. p. 239. 284. *Qui habuit pollutionem mortaliter peccaminosam quocunque modo habitam, præmissa confessione potest sine peccato eodem die communicare. Majus dubium est de pollutione mortaliter peccaminosa, seu habita secum, vel complice; & hoc sive habeatur per fornicationem, sive per adulterium, seu per peccatum contra naturam, vel quocunque alio modo.*

Dico 3. qui habuit voluntariam, & mortaliter peccaminosam pollutionem sive cum complice, sive sine illo, si habeat debitum illius dolorem, præmissa confessione poterit in eadem die communicare, quin in hoc peccet mortaliter, nec etiam venialiter. Ita Sylvester v. Eucharistia. 3. §. 10. n. 12. Navarrus retractans se in ultima edit. in manuali c. 21. n. 51. P. AEgidius q. 80. art. 7. P. Hurtadus disp. 9. diff. 13. P. Azor 1. part. l. 10. c. 3. ad finem. P. Suarez disp. 68. sect. 3. Ex hac enim P. Laymannus tr. 4. c. 6. n. 15. P. Henriquez l. 8. c. 51. n. 1. P. Fagundez l. 3. c. 6. n. 8. & cum multis Joannes Sancius disp. 23. n. 30. Et ratio est, quia nullus adest textus, qui prohibeat communicare seu celebrare hominem verè contritum, & rite per Confessionem sacramentalem confessum, quamvis in eodem die gravissimum peccatum mortale commisisset: ergo si potest in eodem die, in quo incidit in peccatum homicidii & hæresis (quæ sunt peccata graviora) communicare, ut omnes concedunt, sine peccato, poterit etiam in die habitæ pollutionis voluntariæ, quæ est peccatum minus grave, etiam sine ullo peccato communicare, dummodo sit rite confessus: & confirmatur ex Concilio Tridentino; ait enim sess. 13. c. 7. illum sanctè & dignè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis sibi est conscius, dignè accedet se per confessionem probando: ergo asserere, deleto jam peccato per confessionem, ad huc fidelem non esse dignum Eucharistiæ

charistiæ suscipiendæ; quia si suscipiat, peccatum veniale sit commissurus, videtur manifestè adversari Concilio, cum sequatur eum non accedere tunc sanctè & dignè, cum actionem exerceat in mente Autorum contraria sententiæ intrinsece malam, & culpabilem saltem venialiter.

Et quamvis P. Vasquez q. 8. c. 7. credat antiquitus fuisse aliquam legem, vel universalem, vel provincialem, seu consuetudinem, qua per aliquas saltem horas post pollutionem prohibebatur communio, ut videntur ostendere loca superius dicta §. Nec facit; *hoc tamen hodie communi & universali totius orbis consuetudine est abrogatum, & de facto hodie nulla datur prohibitio positiva; quia de ea non constat; neque naturalis, quia ex nullo capite ostendi potest.*

285. *Tota hic dubitatio est, utrum debeat Confessarius consulere his sic voluntariè & mortaliter pollutis, ut illo die à communione se abstineant, non ex præcepto, quod, ut supra dictum est, nullum datur; sed ex consilio, propter reverentiam debitam tanto sacramento? Ordinariè respondent Autores affirmativè. Nihilominus tamen mihi magis placet opinio Joannis Sancii in suis select. disp. 23. n. 30. asserentis hoc non esse consulendum; imò potius consulendum quod communicent, dummodo sint per confessionem rite dispositi; ne sub velamine reverentiæ erga hoc sacramentum, illud defraudent excellentiori reverentia, quæ ex tali sumptione illi accrescet, & cum ad realem sumptionem institutum fuerit à Christo, & sic suscipientes fini institutionis conformentur. Deinde hoc etiam consulendum, ne pœnitentes defraudentur gratia hujus sacramenti, & aliis plurimis effectibus: ideò reus erit qui dignum pœnitentem communione defraudat; & iste talis est dignus, quia licet eadem die pollutus fuerit voluntariè, à tali pollutione per confessionem sacramentalem liberatur, quæ ad hunc finem fuit instituta.*

287. *Et hinc infero: non esse validum votum factum non suscipiendi Eucharistiam die habitæ copulæ fornicariæ, etiam præmissa confessione cum vero dolore: nam tale votum est impediti-*

vum

vum majoris boni, & ideo non potest habere rationem voti, nec vim obligandi: ut docet Joannes Sancius in selectis disp. 23. n. 40. in fine, & patet ex his quæ dicta sunt supra. n. 282.

Atque hanc Sancii opinionem & tutam, & SEQUENDAM IN PRAXI *pronuntiat Baunius Theol. Mor. tr. 10. p. 457.*

MASCARENHAS Tract. 1. de Sacram. in genere Disp. 4. c. 5. p. 47. 205. *Sacramenta accepta cum defectu accidentali (hoc est sine debita dispositione) postea sublato obice suum producunt effectum.*

Dico. 2. Qui accipit sacramentum cum defectu accidentali sive culpabiliter, accipiendo illud voluntarie, v. g. à Ministro hæretico; sive inculpabiliter, accipiendo illud v. g. inadvertenter, seu ignoranter sine attritione seu dolore requisito ad fructum sacramenti, sublata fictione seu obice consequitur effectum sacramenti. Ita Bonacina disp. 1. q. 6. punct. 3. n. 3. ubi plures allegat. Cajetanus tom. 1. opusc. tract. 5. q. 5. de Confessione infirmi. Cabrera de Sacrament. q. 69. art. 10. disp. 4. n. 9. Diana 3. part. tr. 4. resol. 15. & part. 5. tr 13. resol. 30. qui absolutè de omnibus loquuntur. Et idem tenet Petrus Sotus in Inst. Sacerdot. lect. 5. de baptismo. Villalobos in Sum. tom. 1. tr. 5. diff. 21. n. 2. ut probabilius docet. Et ratio est, quia hæc sententia conformior videtur infinitæ bonitati Dei, qui sacramenta instituit ad sublevandam hominum necessitatem. Descendamus modo ad probandam hoc de singulis sacramentis in particulari.

211. *De Sacramento Eucharistiæ, de quo datur major dubitatio, probatur eodem modo ac de aliis sacramentis: nam quemadmodum homo, qui ad hoc sacramentum accedit sine obice, & cum debita dispositione, habet jus ad gratiam hujus sacramenti; ita ille qui cum obice accedit, habet jus ad gratiam sublato obice; ergo ablato obice hoc sacramentum suum producit effectum. Ita Cajetanus tom. 5. opusc. tr. 5. q. 5. de Confessione infirmi. Cabrera de Sacrament. q. 69. art. 10. disp. 4. n. 9. Diana 3. part. tr. 4. resol. 15. qui absolutè de omnibus etiam de Eucharistia loquuntur. Nec obstat quod si aliquis, qui multoties cum peccato communicaret,*

postea convertatur, acquirat subitò totam illam gratiam debitam tali sacramento toties sumpto, si bene & licitè communicaret: nam in hoc ipso magis apparet misericordia & clementia Christi Domini, & virtus & efficacia tanti Sacramenti, quod maximè per hoc extollitur & amplificatur, quamvis contrarium dicat Villalobos in sum. tom. 1. tr. 7. diff. 23. P. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 63. sect. 8. Canus, Sylvester, Paludanus, & alii, quos allegat Diana citatus.

Dices cum Patre Lugo disp. 9. sect. 6. n. 108. in fine, ex hac doctrina sequeretur, quod homo fieret repentè sanctissimus propter plura sacrilegia commissa, & eò sanctior, quò plura fuissent sacrilegia; & multò sanctior, si singulis diebus contra leges Ecclesiæ decies vel centies celebrasset, quod ex se incredibile apparet. Respondeo, in tali casu non fieri hominem repentè sanctissimum propter plura sacrilegia commissa, sed propter plures communiones, & si sit eò sanctior, quò plura fuissent sacrilegia, hoc non sequi per se, sed per accidens: per se enim tale augmentum gratiæ & sanctitatis provenit ex plurimis sumptionibus Eucharistiæ, & per accidens est, quod tales sumptiones fuerint sacrilegæ.

IDEM Tr. de sacrosf. Euchar. Sacram. Disp. 5. c. 6. p. 236. 272. *Qui ex malitia celebravit, non præmissa confessione mortalium, non tenetur ad hoc præceptum, scilicet quamprimum confiteri.*

Quæres 3. Utrum qui ex sola malitia celebravit, non præmissa confessione mortalium, teneatur postea quamprimum confiteri? Respondeo negativè. Ita P. Suarez Disp. 66. Sect. 7. P. Filiucius citatus n. 223. P. AEgidius, & P. Hurtadus locis citatis. Ita etiam P. Granado 3. part. controv. 6 tr. 10. Disp. 7. n. 15. & cum multis Diana part. 9. tr 3. resol. 26. Et ratio est; quia hoc præceptum Concilii Tridentini non obligat, nisi eos, qui ex necessitate celebrant; & in nostro casu Sacerdos non celebrat ex necessitate, sed ex malitia: Ergo præceptum Concilii non extenditur ad istum sacerdotem.

IDEM Tr. 3. de Sacram. Confirmationis Disp. 4. c. 3. p. 152. 72.

72. *Omittere sacramentum Confirmationis, absolutè loquendo, nec est peccatum veniale.*

Dico 2. Omittere hoc sacramentum, absolutè loquendo, nec etiam peccatum veniale est. Ita Navarrus c.22.n.9. & alii. Et ratio est, quia nullum de hoc datur praeceptum de jure communi, & nullum datur peccatum, nec veniale, nisi sit contra aliquod praeceptū. Et confirmatur, quia cum haec res in se sit gravis, si de illa aliquod daretur praeceptum, obligaret sub mortali; sed non obligat, ita ut dictum est suprà: ergo signum est nullum de hoc dari praeceptum: & licet aliqui doceant, omissionem hujus sacramenti esse peccatum veniale, quia existimant continere in se quandam prodigalitatem, ex eo quod per ipsam omissionem privetur magnis donis spiritualibus: tamen ego contrarium existimo, absolutè loquendo; nam etiam illi qui intra annum post impletionem praecepti non confitentur, nec communicant, absolutè loquendo nec venialiter peccant, ex eo quod nullum de hoc detur praeceptum; & tamen privantur magnis donis spiritualibus: ergo similiter.

IDEM tr. 4. de Sacram. Eucharistiæ Disp.5. c.4. p.227.242. *Utrum teneatur quis confiteri illud peccatum, de quo pro utraq; parte habet opiniones probabiles, utrum illud commiserit, vel non.*

Quaeres 3. Utrum ille qui habet opiniones probabiles pro utraq; parte, an scilicet commiserit, vel non commiserit aliquod peccatum mortale, teneatur illud confiteri ante communionem, vel non? Respondeo etiam latè de hoc dicendum infrà tract. 6. de Pœnitent. Sed modo hic obiter negative respondeo: & hoc licet magis propendeat in aliam partem, quae existimat peccasse: & ratio est, quia homo potest se conformare cum opinione probabili, licet minus tuta & minus probabili: ergo poterit se conformare cum opinione existimante non peccasse, dummodo probabilis sit, licet contraria sit probabilior: nam homo non tenetur ad operandum prudentissimè; sed sufficit quod operetur prudenter, & qui cum opinione probabili operatur, prudenter operatur.

IDEM Tr.5.n.518. *Sed quaeres, utrum satisfaciat praecepto*

audiendi Missam ille, qui venit ad Ecclesiam intentione libidinosa, & sic videndi aliquam feminam, & sic Missam attentione requisita audit ALITER NON AUDITURUS. *Respondeo affirmative. Ita Pater Suarez, Navarrus, & alii, quos citat & sequitur P. Fagundez. Et ratio est, quia quamvis tunc peccat contra sextum præceptum, tamen illa intentio libidinosa non destruit intentionem virtualem implendi præceptum audiendi Missam.*

Ibid n. 516. *Satisfacit etiam præcepto audiendi Missam ille, qui illam audit animo expresso non satisfaciendi præcepto auditione illius Missæ.*

Has excipient Propositiones à Parochis Parisiensibus ex Escobarii Tomo primo Theologiæ Moralis Lugduni edito excerptæ.

ESCOBAR Theol. Mor. Tom. 1. l. 2. sect. 1. c. 2. pag. 34. 22. *Quæsiverim an inter opiniones probabiles detur una securior ac tutior altera; hoc est an majus periculum incidendi in culpam possit inveniri, unam opinionem sectando, quàm aliam? Negativè respondeo; quia cum qualibet probabilis opinio tutam reddat conscientiam in operando, non minus tutus erit operans juxta unam, quàm juxta aliam opinionem. Decipiuntur procul dubio multi, putantes securius se gerere, dum id quod sub opinione versatur, an sit peccatum, tale esse decernunt. Nam cum dubitent de veritate, non est major ratio, quare pro peccato, quam contra ipsum respondere constringantur. Hen. in proæmio Sum. Sanct. in select. disp. 44.*

23. Profectò dum video tot diversas sententias in rebus moralibus circumferri, divinam reor providentiam fulgurare; QVIA EX OPINIONUM VARIETATE JUGUM CHRISTI SVAVITER SUSTINETUR. *Annon melius viatori plures vias à Vallisoleto in Matritum exponi, quàm si tantùm unica reperiretur? Certè vel eam nimis latam esse oporteret; aut per eam transeuntes impediri, ac cum molestia peragrare opus esset. Ergo superna providentia cautum, plures operationum moralium*

ralium vias exponi, rectamq; inveniri posse actionem sive juxta unam, sive juxta alteram opinionem homines operentur. Sanctius in select. disput. 44. n. 70. Caram. tr. supra Reg. D. Benedicti. 60.

IDEM Tom.1.l 2.sect.2.c.6. Prob.7.p.39. *Licet, & non licet fovere propositum varios adeundi Doctores, donec inveniam, mihi qui ad libitum respondeat.*

58. *Si rectam habeo intentionem opinionem probabilem requirendi, quæ mihi faveat, animoq; afficior firmo nihil gerendi probabili conscientia contrarium; licitè quidem possum varios adire Consiliarios, donec inveniam, qui respondeat ad libitum. Sic* Sanch. *lib.1. Decal.c.9. num.4. Castro Palao tom.1.tract.1.disp. 2. pun.3.n.6. Zumel.1.2.q.76. a. 2. dis. 4.*

IDEM Theol. Mor. tom. 1. l. 2. sect. 2. c. 6. Probl. 18. p. 43. Subditi *excusantur & non excusantur solvere tributum, per opinionem probabilem oppositam. Excusantur certè; quia sicut Princeps justè tributum imponit, juxta sententiam probabiliter affirmantem illud esse justum; sic etiam subditus justè denegare poterit tributum, juxta sententiam probabiliter affirmantem illud injustum esse. Ita Sanchez. l.6.decal.c. 3. n. 7. Less. l.2.c.33 n. 67. Ludov. Lopez. punct. 1. c. 187. Navar. de restit. l 3. c. 1. dub. 13. n. 237. Molin. tom.3. de trib. disp. 674. n. 6. & 7. Filiut. tr. 28. n. 117.*

92. *Hanc mentem approbo; quia licet subditus cognoscat illud tributum esse justum ex parte probabilis opinionis quam Princeps sectatur; simul etim cognoscit esse injustum, juxta probabilem opinionem oppositam. Haut inconveniens judico ex parte utraq; bellum justum exponi, dum opinio probabilis intervenit.*

IDEM Theol. Mor. tom. 1. lib. 5. sect. 2. c. 14. Problem. 13. p. 160. *Peccant, & non peccant subditi, sine causa non recipientes legem à Principe legitimè promulgatam.*

117. *Non peccant; quia Principes semper promulgant leges dependenter ab acceptatione subditorum, nec illos aliter intendant obligare. Unde qui absq; causa sufficienti legem non acceptat,*

ptat, aliquam culpam non incurrit, nisi grave inde Reip. proveniat incommodum. Sic Megala 2.2. l. 2. c. 6. q. 3. n. 115. Diana p. 1. tr. 10. resol. 2. Valentia tom. 2. disp. 7. qu. 5. punct. 2. Filiut. tom. 2. tract. 21. c. ult. n. 429.

118. *Idem existimo; quia acceptatio est conditio ad legis obligationem requisita: ergo si lex non acceptetur, non obligat; & consequenter non delinquit, qui illam non acceptat; nondum enim est purificata conditio, sub qua legislator intendit obligare; obligare autem intendit tacita illa conditione, si Lex acceptetur, nisi aliter expresserit, aut si contrarium ex conjecturis non constiterit.*

IDEM Tr. 1. Exam. 1. c. 5. 34. *Tenenturne Clerici aliique Ecclesiastici civilibus legibus subjacere?* Ex *vi coactiva minimè; quia laicus Princeps non habet in Clericos jurisdictionem: ex vi autem directiva tenentur legi ad bonum commune spectanti subjici, dummodo Ecclesiastica non repugnet libertati; quia Clericos decet aliis exemplum exhibere.*

IDEM ibid. Exam. 15. c. 6. Praxis. 36. *Privilegium concessum* NON SUBDITO *estne revocabile? Negative affirmo cum Suario. Talia sunt, quæ à secularibus Principibus conceduntur Ecclesiasticis.*

IDEM Theol. Mor. tom. 1. l. 5. sect. 2. c. 15. Problem. 19. p. 162. *Clerici non solùm vi directiva, sed & vi coactiva, subjiciuntur, & non subjiciuntur Principum secularium legibus, quæ spectant ad Reip. gubernationem, nec cum Clericorum pugnant statu.*

134. *Non sola æquitate naturali, seu ratione conformitatis cum aliis hominibus, sed vi coactiva, aut ipsa legum efficacitate Clerici civilibus legibus obligantur: quia licet quoad alia exempti sint, quoad leges non videntur exempti. Non tamen hujusmodi coactio, punitio, ac exsecutio legum debet per principes seculares, sed per Præsules Ecclesiasticos fieri, à quibus debent ad legum civilium compelli observationem. Ita Lorca 1. 2. tom. 2. tr. de legibus disp. 25. n. 4. singularis quidem & singulariter.*

135. *Cle-*

135. *Clerici legibus civilibus bonum commune respicientibus, nec Ecclesiæ immunitati repugnantibus, non tenentur ex vi coactiva, sed directiva tantùm. Ita Salas de legib. disp. 14. sect. 10. n. 11 Laym. tr. 4. c. 13. n. 6. Azor. p. 1. l. 5. c. 12. qu. 3. & p. 2. l. 9. c. 7. qu. 8. Dian. p. 1. tr. 10. resol. 12. Bonac. tr. de legib. disp. 1. q. 1. pun. 6. n. 53.*

136. *Ego quidem adeò improbandam puto Lorcæ sententiam, ut existimem Clericos haut directè Legibus secularibus subjici, sed ex ratione naturali dictante, servandas esse leges civiles propter illam cum personis secularibus ejusdem Reip. conformitatem, quæ illis legibus subjiciuntur, quemadmodum Principes suis legibus directè non obligantur, sed indirectè; quia ratio naturalis dictat, Principes subjici iis oneribus, quæ subditorum humeris adjiciunt. Infero Clericos secluso scandalo non peccare mortaliter, Principum secularium leges violando,* QUIA LEGIBUS HISCE DIRECTE NON TENENTUR.

IDEM Theol. Mor. tr. 1. Exam. 7. c. 3. Praxis ex Doctoribus Societ. 32. *Licetne occidere Bannitum? .... Bannitus non potest ex Filiut. tom. 2. tract. 28. c. 2. n. 24. sententia, extra territorium Principis proscribentis occidi, nisi consensus saltem tacitus vel rationabiliter præsumptus illius Principis, in cujus territorio invenitur, interveniret. Quid si proscriptus à Pontifice? Licet ubiq; occidere illum; quia Præsulis summi jurisdictio totum orbem complectitur. Ex eodem.*

IDEM Theol. Mor. tom. 1. l. 5. sect. 2. c. 17. Probl. 26. p. 164. *Lex pœnalis in materia gravi obligat, & non obligat in conscientia.*

156. *Non quidem obligat, quia in dubio benignior gerenda est interpretatio, & lex debet de minori pœna explicare, cap. in pœnis 49. de Reg. Jur. in 6. Legislator qui ad pœnam temporalem & æternam potest obligare, si solius meminit temporalis, non videtur intendisse obligare ad æternam, ex l. Cum prætor. ff. de jud. cap. Nonne de præsum. Qui ex duobus propositis alterum tantum affirmat, alterum videtur abnegare; Ita Reginal. tom. 2, lib. 15. c. 6.*

sect.

sect.5.n.50. Villalob.tom.1.tract.2.dub.22.n.2. Navar.c.23.n.55.& Valent.tom.2.disp.7.q.5.punct.6. Filiut.tom.2.tr 21.c.11.n.420. probabilem hanc sententiam vocitarunt.

157. *Subscribens non possum non mirari Sotum de Just. l.1.q.5.a.5. hanc opinionem vulgi errorem appellasse, putantis cuilibet licere sua pœnæ reatu transgredi legem. An vulgaris est error doctissimorum sententia doctorum, quam vel contrarium sectantes probabilem profitentur? Idem docet de lege mixta, n. 165.*

IDEM Theol.Mor.Tom.1.l.2.sect.2.c.6.Probl.14.pag.42. *Judex reputans unam opinionem probabiliorem esse altera, debet, & non debet juxta illam judicare.*

79. *Judex tam supremus, quam non supremus (Dixi tam supremus, &c. quia scio aliquos distinguere de judice supremo, ac inferiore, docentes supremum debere judicare secundum sententiam, quam ipse probabiliorem esse putat) opinionem aliorum minus probabilem sequi potest: quia nec imprudenter, nec temerè, nec injustè agit, qui ratione probabili ducitur. Sic Castr.Pal.tract. 1. disp. 2. punct. 10. n. 7. Salas. 1. 2. tr. 8. n. 118. Joan. Sanct. in select. disp. 44. n. 50. Dian. p. 2. tract. 3. resol. 3.*

80. *Hanc magis probo sententiam, dummodo Judex non sit arbiter à collitigantibus electus sub conditione, quod juxta suum judicium, & non alienum debeat judicare; & modo illa minus probabilis opinio talis non sit, quæ non solùm ab ipso judice, sed etiam ab aliis communiter minus probabilis censeatur. Tunc enim cum Salas num. 120. existimo, judicem juxta illam haut posse judicare.*

IDEM probl. 31. p. 48. *Licitum quidem est simpliciter medico applicare medicamentum quod putat probabile saltem, per extrinseca principia, quamvis omittat quod sibi probabilius ac securius videtur: quia quod probabili ex sententia fit, haut imprudentiæ ac temeritati subest: ergo etiam caret culpa, cum lex charitatis & officium medici solùm obligent illum, ut juxta regulas artis prudenter operetur. Ita Salas 1.2. tract. 8. disp. 1. sect. 14. n.136.*

n.136. Dian.part.2.tr.13.resol.7. Cast.Pal.tom.1.dis. 2.punct.9.n. 8. Joan.Sanc.dis.44.n.36.

Idem opinor; quia onus esset grave, si medicus semper deberet amplecti, quod sibi probabilius apparet.

IDEM Mor.Theol.tr.3.Exam.2.c.6. Praxis ex Soc. Jesu Doctoribus. III. *Suppono causam esse æqualem. Potestne judex aliquid accipere? Docet Fagundez Dec.tom. 2. l.8. c. 26. aliquid posse non solùm ab electoribus ad majoratum, cathedram, capellam; sed etiam à judice, quando (ut supponis) sententiam profert in causa æquali, seclusa lege positiva in contrarium: quia pro suo arbitratu potest cuilibet parti dare victoriam; quare datur locus gratificationi, quæ est pretio æstimabilis, utpote quæ plerunque cum jactura amicitiæ & gratiæ alterius partis conjuncta est.*

IDEM Theol.Mor.lib.10.sect.2.cap.16.probl.20.p.462. *In contractibus humanis sufficit, & non sufficit signum externum, absque consensu interno dandi jus in rem, circa quam est contractus, aut dandi illius dominium.*

205. *Vidimus sect.1. contractum respectivum, seu reciprocum, V.g. emptionem & venditionem, ad sui valorem, imò ad sui naturam & essentiam requirere signum externum, consensus interni expressivum: quia cum sit contractus humanus, seu pactio humana, haut potest sine signis externis exponi. Vertitur autem in quæstionem, num ad naturam contractus, ejusq; valorem, sufficiat signum externum, absq; consensu interno dandi jus in rem, circa quam est contractus, aut dandi dominium illius? Sufficit plane; quia aliàs quisquis absq; eo consensu rem venderet, & eam traderet, posset eandem absq; injustitia occultè accipere, si pretium emptori rei restituat; quod videtur absurdum. Sic Turianus disp. 55. dub. 12.*

206. *Ad essentiam & valorem contractus non sufficit signum externum, sed etiam requiritur consensus internus; quia absq; vero consensu Domini, quo velit dominium rei suæ in alterum transferre, aut ei conferre jus in illam, id nequit fieri, etiamsi exterius significet id velle, solo enim eo exteriori signo verè non consentit.*

ſentit. Ita Molina diſp.352. Lopez l.1.c.1. Fauſt.diſ.5 c 1. Reginal. l.25.c.1. Filiut. tr.33.c.2.

207. *Huic communi quidem ſenſui adhæreo, addens, quamvis cum adhibetur externum ſignum, ſit pro tunc debitus conſenſus internus ratione veracitatis, ut ſignum ſit verum; nihilominus quia non eſt debitus ex juſtitia, ſiquidem nullum apparet ſufficiens fundamentum, ad tale debitum admittendum, nullam adeſſe obligationem ſtandi contractui fictè facto, niſi quando ex fictione illatum eſt damnum alteri, quod nequit aliter reſarciri, niſi ſtando contractui, quia fictè contrahens tenetur ad reparationem damni ex fictione ſua ſecuti, ſi prudenter timuit illud eventurum. Unde nullatenus abſurdum putarim, eum qui fictè rem vendidit, & eam tradidit emptori, poſſe eam absq; injuſtitia occultè accipere, ſi pretium emptori reſtituat.*

IDEM Mor. Theol. Tr.1. Exam.3.c.7. Praxis ex Societatis Doctoribus 34. *Licitumne ex juſta cauſa juranti uti amphibologia, ſeu æquivocatione, proferendo ſcilicet juramentum, quod à circumſtantibus in ſenſu communi accipiatur, quod autem proferens aliud ſubintelligat? Affirmat Sanch. ſum. tom.1.l.3.c.6.n.15. Exemplis practicis confirmo ... Si eſt probabilis opinio, quod taxa alicujus rei ſit injuſta, & propterea venditor falſis ponderibus, vel aliàs injuſtitiam ſibi compenſat, à judice poſtea interrogatus poteſt id totum jurejurando negare, ſubintelligendo ſe injuſtè non egiſſe. Sanch. Sum. tom.1.l.3.c.6.n.29.*

IDEM Mor. Theol. Tr.2. Exam.9.c.4. Praxis ex Societ. Jeſu Autoribus. 31. *Poteſtne filius ſalarium exigere à patre mercatore, aut agricola pro opera à ſe illo in officio impenſa? Non poſſe Molina tom.2. tract.2. d. 234. aſſeruit; quia dum filius paternæ adeſt in domo, videtur ad obſequii actiones obligari; at Layman l. 3. tr.4.c.8.n.6. probabiliter poſſe exigere cenſet; quia illud lucrum quatenus ex bonis patris ex filii opera ſimul proveniens videtur partim inter profectitia, partim inter adventitia adnumerandũ. Si ergo pater totum lucrum ſibi retineat, nec aliquid filio velut ſocietatis jure relinquat, tenetur illi ſalarium, quod præberet extraneo, exhibere, ſaltem exigente filio.*

IDEM

IDEM Mor. Theol. tr. 1. Exam. 9. c. 4. Praxis ex Soc. Jesu Doctoribus. 31. *Filius mercatoris patris bona administrat, & potest à patre salarium exigere, quantum alicui extraneo deberet. Si illud non potest à patre petitum impetrare, potestne clàm accipere? Potest quidem ad justam æstimationem laboris & industriæ suæ, computatis tamen in dicta æstimatione expensis, quas pater in ipso efficit alendo. Laymannus ita.*

IDEM Theol Mor. tr. 4. Exam. 6. c. 5. Praxis ex Soc. Jesu Doctoribus 161. *Procuravit quis abortum, sed dubitat an fœtus fuerit animatus, censendusne irregularis? Affirmat Sanchez; sed probabiliter cum* Præposito *censeo, irregularitatem non contrahere; quia in dubio conditio melior abortum procurantis.*

IDEM Theol. Mor. tr. 4. Exam. 6. c. 5. Praxis ex Soc. Jesu Doctoribus 166. *Defendit se adulter contra maritum invasorem, & illum occidit, culpa sua se ingerens in eam necessitatem vitæ suæ sic defendendæ, irregularisne? Negat Lessius, si occidit tamen cum inculpatæ tutelæ moderamine.*

IDEM Mor. Theol. tr. 4. Exam. 6. c. 5. Praxis ex Societ. Jesu Doctoribus 168. *Circa infamiam rogarim, num damnati ad triremes sint irregulares? Respondeo negativè; quia nec infamia, nec irregularitas incurritur, nisi in casibus à jure expressis, qualis non hic.*

IDEM Theol. Mor. l. 7. sect. 2. c. 33. Probl. 59. p. 289. *Non legis librum hæreticorum, seu de religione tractantem, sed audis alium, qui te incitante aut petente illum legit; incidis, & non incidis in excommunicationem; & consequenter eges, & non eges Bullæ indulto ut possis absolvi.*

639. *Non incurris in excommunicationem, nec eges bulla indulto, ut absolvaris: quia audire, non est legere; & verba legis pænalis propria ac stricta in significatione sunt intelligenda. Ita Filiut. tom. 1. tr. 16. c 3. n. 45. Sanch. l. 2. Mor. c. 10. n. 48. Bonac. de Censur. dis. 2. q 5. punct. 4. n. 11. qui quidem malè citat Reginaldum primæ sententiæ sectatorem.*

640. *Hoc verum censeo, etiamsi is qui audit legere, legentem induxeric ad legendum; inducere enim alium ut legat, non est legere; & Censura contra facientem lata, non illigat consulentem, nisi in Bulla exprimatur: incurret vero Censuram famulus legens, nisi ignorantia excusetur.*

IDEM Theol. Mor. tr. 6. Exam. 2. c. 6. Praxis ex Societ. Jes. Doctorib. 43. *Pro intercessione ad beneficium potest aliud dari sine simonia suspicione? Si v.g. aliquid das Antonio ut intercedat apud Petrum collatorem beneficii; simoniacus es. Si autem das aliquid Joanni, ut apud Antonium intercedat, ut ipse Antonius apud collatorem tuus intercessor existat, ex Vasq. sententia (quem citat & sequitur Sanch. dub. 26. n. 7.) à simonia periculo liberaris: quia illa intercessio remota est merè temporalis. Moneo aliquos apud Sanctium docere, simoniam illam quæ committeretur solvendo pretium intercessori immediato, esse solius juris humani, non divini vel naturalis; quia hæc etiam intercessio temporalis est.*

IDEM Theol. Mor. tr. 1. Exam. 16. c. 4. Praxis ex Doctorib. Societ. Jes. 36. *Cessat dispensationis causa, num dispensatio cesset? Negative respondet Salas disp. 20. sect. 5. n. 63. quia in dispensatione intelligitur conditio, si causa permaneat. Porro Sanchez dist. 20. n. 14. affirmat; quia cessante causa, cessat lex communis, quæ majoris est roboris. Itaq. dispensatus à Pontifice sine ulla limitatione ad non jejunandum per totam vitam, etiam si causa v.g. infirmitas cessaret, uti posset dispensatione: verum conditionem illam subintelligi abnegatur.*

Secundum hanc doctrinam novus quidam Casuista P. BUSENBAUM statuit lib. 1. tr. 2. c. 4.

1. *Cum quo dispensatum est propter morbum in esu carnium, potest vesci, licet omnino convaluerit.*

2. *Cum quo propter infirmitatem dispensatum est, in voto religionis, postquam convaluit non tenetur.*

3. *Cum quo propter oculorum infirmitatem dispensatum fuit in onere recitandi Horas, etsi convaluerit, non tenetur legere.*

ESCO-

ESCOBAR Mor. Theol. tr. 7. Exam. 5. c. 8. Praxis ex Societ. Jes. Doctorib. 61. *Indicitur eleemosyna ad indulgentiæ lucrationem, sufficit qualibet? sufficit OBOLUS, si non indicatur fieri cum proportione ad facultates.*

IDEM Theol. Mor. tr. 7. Exam. 5. Praxis ex Societ. Jes. Doctorib. 59. *Scio debere opponi opera, jejunium scilicet, eleemosyna, confessionis, &c. Rogo, si hujusmodi opera moraliter bona, ex circũstantiis fiãt mala aut venialiter, aut mortaliter, sufficiuntne ad indulgentiæ lucrationẽ? Granadus d. 4. n. 10. sufficere docet, opus esse bonum ex suo genere, licet ex circumstantiis & in individuo malum sit; quia præcepta divina & humana implentur per opera ex suo genere bona, licet individualiter peccaminosa. An opus est opera illa potissimum ob indulgentiam effici? Satis est in eum finem exsecutioni mandari, licet alius finis æquè aut magis principaliter intendatur. Granadus.*

IDEM Theol. Mor. to. 1. l. 6 sect. 2. c. 10. Probl. 6. p. 187. *Supplicationem quis facit diminutam ad privilegium obtinendum, & Princeps ex illa movetur privilegium concedere, aliàs non concessurus cognita veritate: tunc est & non est irrita concessio.*

113. *Concessio non est irrita, sed valida; quia omnes doctores qui supponunt veritatis taciturnitatem non vitiare gratiam proprio ex motu concessam, supponunt petitam esse. Et videtur apertè constare ex Clem. si Romanus. deprabend.* Ergo si ex petitione *diminuta redditur concessio nulla, nullus est casus, in quo propriè ex taciturnitate veritatis facta à privilegiario valeat gratia; neq; clausula motus proprii aliquid speciale operaretur in privilegio, ubi privilegiarius integram gessit supplicationem, quod est contra communem sententiam, ut videre est in Menochio de arb. l. 2. Cent. 3. casu 201. n. 81. Et Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 21. q. 3. n. 49. Ita Castro Palao to. 1. tr. 3. disp. 4. pun. 2. §. 6.*

114. *Idem asserendum existimo: etsi enim Princeps fortè concessurus non esset privilegium, si veritatem integrè cognosceret, at absolutè vult concedere, & supplere defectum eo ipso quod addit,*

addit, ex motu proprio se concedere. Scio quidem aliquando ob diminutam relationem privilegii; concessionem esse nullam, cum scilicet relatio est occasio ut res diversa ab ea qua conceditur intelligatur. Si enim v. g. petens beneficium Ecclesiasticum taceat esse regulare, vel hospitale, vel alteri unitum, nulla erit concessio, etiamsi motu proprio fiat, non tam ob veritatis taciturnitatem, quam ob defectum intentionis in concedente.

IDEM Theol. Mor. tom. 1. lib. 1. sect. 2. c. 7. Probl. 26. p. 27. *Licet, & non licet ob gravem metum in administratione Sacramentorum simulatione uti.*

136. *Licere probatur. Quia quoties adest justa causa, quilibet uti potest æquivocatione, restrictione mentali, vel simulatione, qua fictio à mendacio liberatur; sed urgente gravi metu causa justa subest Sacramentorum administrationem simulandi: ergo licebit tunc uti simulatione. E. g. Minetur quis mortem Sacerdoti, nisi consecret omnem panem fori (non in Religionis contemptum) poterit Sacerdos verba consecrationis sine intentione consecrandi proferre; quia subest justa causa simulandi consecrationem; ne, si consecret, multæ particulæ consecratæ pereant, & irreverenter absumantur panes consecrati: vel si non proferat verba, necetur. Ita Joan. Sanct. in select. q. 9. disp. 35. n. 6. cujus sententiam videtur approbare Diana p. 3. tr. 6. resol. 83.*

138. *Mihi certè mei amicissimi P. Ferdinandi de Castro Pal. vocitantis primam sententiam audacem ac temerariam, nimiùm rigida censura videtur, dum lego graves Doctores affirmantes in quibusdam eventibus licere hostiam non consecratam pro consecrata porrigere, quia procul dubio major est simulatio.*

IDEM Theol. Mor. tom. 1. l. 1. sect. 11. c. 7. Probl. 24. p. 26. *Ex metu gravi licet, & non licet contrahere matrimonium.*

131. *Licet plane; quia qui contrahit metu, non efficit contractum; non quidem sua culpa, sed culpa illius qui metum incutit; illa vero culpa posita contractus irritatur ab Ecclesia; quare*

quare sic contrahens non delinquit; quia non applicat materiam aut formam indebitè Sacramento, cum ibi non sit contractus legitimus, in quo materia & forma Sacramenti matrimonii consistit. .. Sic Coninch de Sacr. disp. 28. dub. 3. Valen. tom. 4. disp. 10. q. 3. pun. 2. Castro Palao tom. 1. tr. 2. disp. 1. pun. 13. n. 7.

132. *Moneo huic hærens sententiæ probabiliori quidem, verba proferenda ab eo, qui ad matrimonium contrahendum cogitur, materialiter, sicut aliquando sine intentione consecrandi verba consecrationis proferimus ad recolendas Missæ ceremonias sine consecrandi intentione, aut uti eum debere æquivocatione (quamvis addito juramento) vel restrictione mentali, videlicet* accipio te in uxorem, *interius intelligendo,* si teneor; *non enim mentitur, cum nihil asserat contra mentem. Accepi ex Sanch. de matrim. l. 4. disp. 16. n. 1.*

IDEM tr. 1. Exam. 17. n. 144. *Expendas quæso, num sint commutabilia vota.... Non fornicandi, & castitatis conjugalis.... Porro de voto fornicandi, aut non committendi crimen mollitiei, commutari posse Lessius asserit; quia non sunt perfectæ castitatis vota. De castitate deniq; conjugali idem Sanchez affirmat.*

IDEM Theol. Mor. Tom. 1. l. 7. sect. 1. n. 245. *Si juramentum non cedat in utilitatem ejus cui præstatur, sed tantùm in utilitatem jurantis, potest commutari per bullam; quia tale juramentum potest dispensari per Bullam: verbi gratia, si jurasti Antonio te auditurum Missam, vel non perpetraturum* TALE PECCATUM, *quia hujusmodi juramenta magis inducunt rationem voti quàm juramenti, & per ea nullum jus homini, sed tantùm Deo paratur.*

IDEM Theol. Mor. tr. 1. Exam. 11. c. 4. Praxis 108. *Tempore præfationis venit quis ad sacrum audiendum quod unicè celebratur, teneturne illam singularis illius Missæ partem audire? Sanchez & Suarius teneri asserunt, quod illa præcipua sit sacri pars. Ego autem probabiliter assero, non teneri; quia per illam partem Missæ non potest implere præceptum.*

IDEM Theol. Mor. tr. 1. Exam. 8. c. 3. Praxis ex Soc. Jesu Docto-

Doctorib.89. *Circa verba quæsierim, an peccaret mortaliter, qui feminam solicitaret sine intentione executionis, ob solam ostentationem amoris; si sciat certò illam minimè ad adsensum alliciendam? Peccat planè; quia ad scandalum illam adfert. Quid si tam effrenatæ libidinis sit qui solicitat, tantaq; jam infamia circa libidinem laboret, ut nullatenus femina ad scandalum offerenda sit? Non delinquet mortaliter.*

IDEM Theol. Mor. Tom. 1. l. 3. sect. 2. c. 10. Probl. 52. p. 102. *Quis per expressum pactum cum dæmone divinans debet, & non debet in confessione reserare.*

236. *Non debet: quia circumstantiæ aggravantes laudabiliter certè, non tamen necessariò sunt in confessione aperiendæ. Ita Dian. p. 1. tr. 7. resol. 66. Profectò divinationum non sunt species diversæ omnino in genere moris: Unde non est necessarium profiteri an divinatio per inspectionem avium, an per lineamentorum signacula, an per expressam Diaboli invocationem fuerit captata.*

IDEM Theol. Mor. tr. 6. Exam. 7. c. 7. Praxis. p. 954. *Porro prædicare quem principaliter ob gloriam, aut pecuniam, mortale non esse affirmo.*

IDEM Theol. Mor. tr. 7. Exam. 2. c. 4. Praxis p. 980. *Adjicio ex Laymanno, non esse improbandam consuetudinem, qua queisdam in locis Catholici patrini sunt filii hæreticorum, illos hæretico Ministro baptizante.*

Post hæc ex variis Casuistarum scriptis alia quædam sequuntur dogmata.

SANCHEZ in sum. lib. 1. c. 7. n. 10. *Deducitur quid dicendum sit in ea quæstione, An liceat domum meretrici, vel usurario locare? Navarrus satis scrupulosè locutus est.... Videtur censere id non esse licitum.... Quod etiam sequitur Lud. Lopez.... Sed ultra alios optimè Valentia 2. 2. dis. 5. q. 20. pun. 5. col. 3. versu, Ex hoc autem; & melius q. 21. punct. 4. col. pen.* Et *Azor 2. tom. instit. Mor. l. 12. c. ult. q. 3. censent etiam nulla causa justa excusante licere locare domum meretrici, vel usurario publico, modo non sit alienigena, propter prohibitionem d. c. 1. Quod multum inter*

inter materiam & locum intersit; illa enim intrinsecè pertinet ad peccatum, & proximè se habet ad illud: ac proinde maximè sumitur ex illa peccati occasio, & ideo causa excusanti opus est, ut illa quamvis indifferens ex se sit, licitè ministretur. Hic autem se omnino extrinsecè ad peccatum habet, nec ex eo propriè occasionem peccandi homines sumunt, etsi peccando loco abutuntur. Sicut & aëre, cibis, & aliis ad vitam necessariis abutuntur. Quæ tamen illis dare absque causa excusanti licet. Adde domum non ei usui potissimum deseruire, sicut nec cibos, nec alia ad vitam necessaria. Hanc tamen sententiam bene limitant Valentia in hoc posteriori loco, & Salon. 1. 2. q. 77. a. 4. controv. 6. post 4. conclus. corol. 3. nisi accideret, ut ob loci circumstantiam aliquis peccatum admitteret, quod eo sibi non concesso loco minimè perpetraret. Tunc enim si absq; suo detrimento posset, teneretur hic non locare domum. Quod idem ego credo, quando in ea domo ratione situs, aut alia esset specialis ad ea peccata committenda aptitudo. Quippe tunc videretur locans adjuvare, & ideo causa aliqua excusanti indiget. Similiter etiam bene limitat Salon. ex contr. 6. paulò antè ad solutionem ad argumenta, nisi vicinia meretricis domum conducentis plurimum feminis honestis vicinis noceret. Tunc enim ob id damnum necessaria est causa justa locantem excusans. Quam tamen esse censeo, si nequit commodè alii locare.

Idem docent alii Jesuitæ; Vasquez in opusc. de scandalo. q. 43. a. 8. du. 5. n. 48.

Rebellius lib. 14. q. 17. n. 8.

Castrus Palaus t. 1. tr. 6. disp. 9. pun. 12. n. 1.

Azor & Valentia citati à Sanchez.

GASPAR HURTADO, Jesuita, apud DIANAM 5. part. p. 435. *Primo famulus qui nequit facile invenire herum & tam utilem sibi, potest, quando non est in eo prava intentio, & non constat herum ex passione aut ignorantia abusurum, jussu ipsius heri videre, quo femina aliqua eat, & ubi habitet eiq; munuscula deferre, herumq; comitari ad domum concubinæ sive causa honoris, sive defensionis heri, & ei pedem sustinere ad ingrediendum*

Doctorib.89. *Circa verba quæsierim, an peccaret mortaliter, qui feminam solicitaret sine intentione executionis, ob solam ostentationem amoris; si sciat certò illam minimè ad adsensum alliciendam? Peccat planè; quia ad scandalum illam adfert. Quid si tam effrenatæ libidinis sit qui solicitat, tantaq; jam infamia circa libidinem laboret, ut nullatenus femina ad scandalum offerenda sit? Non delinquet mortaliter.*

IDEM Theol. Mor. Tom. 1. l. 3. sect. 2. c. 10. Probl. 52. p. 102. *Quis per expressum pactum cum dæmone divinans debet, & non debet in confessione reserare.*

236. *Non debet: quia circumstantiæ aggravantes laudabiliter certè, non tamen necessariò sunt in confessione aperiendæ. Ita Dian. p. 1. tr. 7. resol. 66. Profectò divinationum non sunt species diversæ omnino in genere moris: Unde non est necessarium profiteri an divinatio per inspectionem avium, an per lineamentorum signacula, an per expressam Diaboli invocationem fuerit captata.*

IDEM Theol. Mor. tr. 6. Exam. 7. c. 7. Praxis. p. 954. *Porro prædicare quem principaliter ob gloriam, aut pecuniam, mortale non esse affirmo.*

IDEM Theol. Mor. tr. 7. Exam. 2. c. 4. Praxis p. 980. *Adjicio ex Laymanno, non esse improbandam consuetudinem, qua queisdam in locis Catholici patrini sunt filii hæreticorum, illos hæretico Ministro baptizante.*

Post hæc ex variis Casuistarum scriptis alia quædam sequuntur dogmata.

SANCHEZ in sum. lib. 1. c. 7. n. 10. *Deducitur quid dicendum sit in ea quæstione, An liceat domum meretrici, vel usurario locare? Navarrus satis scrupulosè locutus est .... Videtur censere id non esse licitum .... Quod etiam sequitur Lud. Lopez .... Sed ultra alios optimè Valentia 2. 2. dis. 5. q. 20. pun. 5. col. 3. versu, Ex hoc autem; & melius q. 21. punct. 4. col. pen.* Et *Azor 2. tom. instit. Mor. l. 12. c. ult. q. 3. censent etiam nulla causa justa excusante licere locare domum meretrici, vel usurario publico, modo non sit alienigena, propter prohibitionem d. c. i. Quod multum*

inter

inter materiam & locum intersit; illa enim intrinsecè pertinet ad peccatum, & proximè se habet ad illud: ac proinde maximè sumitur ex illa peccati occasio, & ideo causa excusanti opus est, ut illa quamvis indifferens ex se sit, licitè ministretur. Hic autem se omnino extrinsecè ad peccatum habet, nec ex eo propriè occasionem peccandi homines sumant, etsi peccando loco abutuntur. Sicut & aëre, cibis, & aliis ad vitam necessariis abutuntur. Quæ tamen illis dare absque causa excusanti licet. Adde domum non ei usui potissimum deseruire, sicut nec cibos, nec alia ad vitam necessaria. Hanc tamen sententiam bene limitant Valentia in hoc posteriori loco, & Salon. 1. 2. q. 77. a. 4. controv. 6. post 4. conclus. corol. 3. nisi accideret, ut ob loci circumstantiam aliquis peccatum admitteret, quod eo sibi non concesso loco minimè perpetraret. Tunc enim si absq; suo detrimento posset, teneretur hic non locare domum. Quod idem ego credo, quando in ea domo ratione situs, aut alia esset specialis ad ea peccata committenda aptitudo. Quippe tunc videretur locans adjuvare, & ideo causa aliqua excusanti indiget. Similiter etiam bene limitat Salon. ex contr. 6. paulò antè ad solutionem ad argumenta, nisi vicinia meretricis domum conducentis plurimum feminis honestis vicinis noceret. Tunc enim ob id damnum necessaria est causa justa locantem excusans. Quam tamen esse censeo, si nequit commodè alii locare.

Idem docent alii Jesuitæ; Vasquez in opusc. de scandalo. q. 43. a. 8. du. 5. n. 48.

Rebellius lib. 14. q. 17. n. 8.

Castrus Palaus t. 1. tr. 6. disp. 9. pun. 12. n. 1.

Azor & Valentia citati à Sanchez.

GASPAR HURTADO, Jesuita, apud DIANAM 5. part. p. 435. *Primo famulus qui nequit facile invenire herum & tam utilem sibi, potest, quando non est in eo prava intentio, & non constat herum ex passione aut ignorantia abusurum, jussu ipsius heri videre, quo femina aliqua eat, & ubi habitet eiq; munuscula deferre, herumq; comitari ad domum concubinæ sive causa honoris, sive defensionis heri, & ei pedem sustinere ad ingrediendum*

per fenestram domum concubinæ, & ei picturam concubinæ emere, & ire ad concubinam, & ei dicere: Herus meus te vocat, & eam ad domum heri comitari, & januam ei aperire, & eis lectum sternere; non tamen potest eam invitare ad actum ipsum inhonestum cum hero, nec litteras heri eam ad id invitantis deferre, sicut nec litteras heri provocantis aliquem ad duellum, nempe, conveniamus tali hora, & tali loco pugnaturi, si famulus saltem probabiliter credat literas esse invitantes ad actum inhonestum, vel ad duellum: quod addimus, quia quamvis dubitet, an literæ sint invitantes, posse eas deferre affirmant Rebell. lib. 2. p. 1. q. 14. n. 5. & Castro pun. 11. & etiam posse literas aliter amatorias non invitantes deferre, sicut & literas ad duellum pertinentes, non invitantes, nempe, conveniamus tali hora & tali loco, non addendo, pugnaturi; & posse similes literas jussu heri scribere. Potest autem ministrare & exhibere omnia, quæ diximus posse; quia omnia ea sunt ex se indifferentia, quæ possunt usui bono & malo deservire, & alias supponimus herum non abusurum ex passione, nec ex ignorantia; & ADEST UTILITAS FAMULO *in ea administratione materiæ, & in ea exhibitione ministerii; imò etiam incommoditas, si id recuset; quia id ægrè feret herus, ut credi potest. Et eadem omnia potest filius ad mandatum parentis, præsertim si ex omissione indignationem patris timeat, & eadem omnia quæ possunt famulus & filius, etiam potest quilibet alius* TITULO ALICUJUS CONSIDERABILIS UTILITATIS SIBI ACCRESCENTIS, *& multò melius titulo vitandi aliquod grave incommodum, aut damnum. Imò ad hoc vitandum potest ea ministrare, aut exhibere, quamvis scandalizandus id sit effecturus ex passione, aut ex ignorantia. Addimus licitum esse alicui præbere munera concubinæ judicis, & ab ea petere, ut intercedat pro eo apud judicem, quando intercessione illius sperat favorabilem sententiam, & ei non se offert alia via facilis obtinendi talem sententiam; quia id possunt concubina, & judex licitè efficere, & possunt si velint non se injicere in periculum probabile turpis amoris.*

Idem

Idem docet ESCOBAR Theol. Moral. tract. 7. Exam. 4. c. 8. n. 223.

THOMAS SANCHEZ in Summa lit. 2. c. 32. n. 44. *Sexta conclusio. Juxta decretum Conc. Lateranensis sess. 9. §. ad* abolendam, *Blasphemus non potest absolvi à confessore, nisi gravissima pœnitentia ipsius arbitrio imposita: Sic enim expressè ibi definitur. Et ita docent Navarrus, Ludovicus Lopez, Petrus de Ledesma. At id decretum non est usu receptum, & ita hodie non obligat. Quod docent* ARMILLA *verbo*, Blasphemia; *& ibi* EMANUEL SA *n. 2.* AZOR, SUAREZ.

BAUNIUS Tract. 10. de Presbyteris & Parochis q. 32. pag. 488. *Præter levitatem materiæ sunt & alia, quæ à peccato Parochum non concionantem eximunt.*

Primò, inopia in Parocho tam doctrinæ, quam commeatuum ad eum alendum, quem sibi in hoc ministerio gravi ac necessariè edocendæ plebis substitueret. Ratio est, quod impossibilium nulla sit obligatio: at Parocho inscienti & ignaro impossibile est loqui publicè, ac de virtute præcepta dare, quemadmodum & de re domi qui vicem suam obeat, si vix in possessionibus ipse tantum habet, quantum ad vitam parcam tenuemq; est necesse.

SANCHEZ opusc. Moral. l. 7. c. 2. du. 9. *Triplex est sententia.*

1. Docet Clericum recitantem horas de præcepto in mortali, peccare.

2. Sententia docet, quod orans sive ex devotione, sive ex præcepto, non peccat per hoc, quod est in peccato mortali; quia hic non est actus proprius ordinis: at peccaret si actu peccans, vel actuale habens propositum peccandi, oraret.

3. Sententia asserit, non peccare qui recitat etiam ex præcepto in peccato mortali, & CUM PROPOSITO ACTUALI PECCANDI MORTALITER. *Ratio; nam voluntas colendi Deum, & petendi aliquid ab eo, stat cum actuali peccandi proposito; sicut stat facere opus moraliter bonum, ut jejunare, cum actuali proposito peccandi: ita tenet Navar. reprobans sententiam Molinæ, cap. quan-*

do c.6. Hisp. n. 40. 41. & c. 20. Hisp. n. 32. Lot. n. 25. & hac sententia est verior.

CARAMUEL Theol. Fund. p. 520.

CASUS. Sacerdos quidam quotidie recitare consuevit Officium Romanum festo Resurrectionis Dominicæ proprium; & modo quærit: An peccaverit? Et si sic, qualiter? ...

Respondetur primò, illum Sacerdotem, si quotidie citra ullam rationabilem causam Officium resurrectionis recitet, peccare quotidie tantummodo venialiter....

Respondetur secundò, Sacerdotem illum, si id quod in casu proponitur, faciat quotidie ex mediocri & ratiocinabili causa, nunquam ullo modo, ne venialiter quidem peccare.

GRANADOS, DIANA, MACHA apud ESCOBAR Th. Mor. l. 3. p. 83. *Habens voluntatem peccata omnia veniali perpetrandi, peccat, & non peccat mortaliter.*

Non peccat: quia malitia interni actus voluntatis desumitur ab objecto, prout proponitur à ratione: sed objectum hujus internæ voluntatis sunt omnia venialia, & nulla major malitia proponitur à ratione præter malitiam venialem: ergo interna voluntas perpetrandi omnia peccata venialia non potest esse culpa lethalis. Ita Granad. 1. 2. contr. 6. tr. 2. dis. 2. sect. 7. Dian. p. 3. tract. 6. res. 24. Macha t. 1. l. 2. tr. 2. doct. 5.

BAUNIUS tr. 4. de Pœnit. q. 15. p. 138. *An scienter peccare sit circumstantia in Confessione aperienda necessariò? Nequaquam... Facit ad confirmandam hanc opinionem praxis fidelium, quos certum est circumstantiam hanc non confiteri, nisi ex scrupulo valde culpabili.*

BAUNIUS Theol. Mor. tr. 12. de impedimento raptus p. 721. *At enim habet ea fuga licet spontanea parentum injuriam, jus eorum infringit ac violat, quisquis illecebris aut prece delusam ex eorum oculis jureq. puellam subducit.* Huic objectioni ita respondet: *Primò negari debet fuga spontanea puellæ è domo patria jus lædi patrium, quia ei obesse nihil solet præter vim & injuriam, cum qua precibus quid commune?*

CA-

CARAMUEL Theol.Fundam.p.737. *Quid si dicamus, posse Remp. condemnare sententia ultima adulteros, & exsecutionem sententiæ committere lictori, & si velit aut parenti, aut marito? Porrò in tali casu illis daretur autoritas, ut non nomine proprio, sed nomine Reip. ut ministri autoritate publica instituti, comprehensos in adulterio liberè & impunè confodiant. Et hoc licere docet* CASTILLUS *in l.82.Tauri.n.6. Cujus opinioni probabiliter subscribit* LESSIUS *lib.2.c.9.dub.5.n.16. quam nescio ab alio quàm à solo Basilio Pontio* uti supra *improbabilem dici: me enim judice stando autoritati est probabilis; & stando rationi, quam debuisset percallere Basilius, certa & evidens.*

Si objicias Nicolaum Pontificem Summū c. inter hæc. *dicentem, non licere secundum leges Ecclesiasticas uxorem adulteram interficere; Respondebimus... id non militare contra Castillum, Lessiū, aut etiam nos, qui illorum sententiæ subscribimus: non enim asserimus id licere secundum Canonicas, sed secundum Civiles... Unde ad uxoricidium & filiicidium deveniendo, puto nullum Ecclesiasticum posse suam uxorem aut filiam in adulterio comprehensam occidere: Et ratio est, quia ad Canones est judicandus. Quamobrem si duo conjugati communi consensu ad Religionem transirent, vel Sacerdotes uxores ducerent, tunc nec Ecclesiasticus uxorem, nec pater secularis filiam Religiosam, nec Ecclesiasticus secularem, nec Ecclesiasticus Religiosam posset occidere, tametsi in actuali adulterio repertam:* POSSET TAMEN SECULAREM, *si Ecclesiæ seculariter non sit subjectus.*

CARAMUEL Theol. Fund. p. 555. *Cum melior sit Cantor qui Eunuchus, colligitur pueros posse ad conservandam vocis suavitatem castrari. Patet; nam adversarii ipsi non negant magni debere fieri vocis excellentiam, vocis securitatem, stipendii opulentiam, & apud Reges & Principes autoritatem.*

IDEM p.556. *Ad quartum, nego non debere tanti fieri favorem & gratiam apud Principes, ut membrum ideo excidi possit. Peto enim ab ipso Diana, Annon mallet, si sine peccato fieri posset, habere honores quos desiderat, & si deberet unico digito pedis ad nihil*

necessario carere? Stat igitur, favorem & amicitiam Principum non esse necessariam ad salutem, seu conservationem propriæ vitæ, & tamen posse hominem illam assequi; etiam sibi inutilis membri dispendio, velut melius loquar, impendio.

THOMAS SANCHEZ, & DIANA apud ESCOBAR Theol. Mor. p. 39. *Quando agitur animæ salus mortis instante articulo, tenetur homo partem amplecti ad expiandam conscientiam, quam reputat probabiliorem ac tutiorem. Sic Thomas Sanchez lib. 2. dec. c. 2. n. 6. inde colligens infidelem, cui proponitur nostra fides ut magis credibilis, dum adhuc ejus secta probabiliter credibilis appareat, non teneri ad recipiendam nostram fidem extra mortis articulum: Secus in illo, in quo sectari debemus, quod magis probabile & tutum exponitur.*

Cum Sanctio in select. disp. 19. n. 9. Dian. p. 2. tr. 13. Res. 9. sentio, putans mortis articulum haut novam regulam operationum inducere moralium: etsi nonnunquam, fateor, inducat particularis præcepti tunc urgentis obligationem. Sanchez & Diana consequenter asserunt infidelem illum nec in articulo mortis obligari ad credendum. Ego autem eum etiam extra mortis articulum obligarem.

PETRUS MICHAEL de SAUROMAN Soc. Jes. Expeditionum Spiritualium Societatis Jesu lib. 3. c. 7. p. 78. *Cum Confessarius audit confessionem hominis in extremo positi, vel ob ægritudinem, vel quia sit mox puniendus à judice, non curet de proposito non peccandi in posterum, sed solùm ut doleat de anteactis peccatis. Difficile est enim ab hujusmodi hominibus in peccatis enutritis verum de cætero non peccandi propositum capere. Cum enim non restet vivendum de futuro (ad quod tempus propositum ordinatur) nulla est necessitas, quæ conscientiam premat ad talem effectum promendum. Id docet Suarez tom. 4. disp. 4. sect. 3. art. 5. Et post pauca:* Sicut *enim periculosum est hominibus rebus humanis affectis & honori deditis, petere propositum non vindicandi ipsis illatam injuriam: ita propositum non peccandi si vita duraret haut petendum est ab his, qui ad peccandum procli-*

ves

ves fuerunt. Cessat enim his .... qui quidem si scirent duraturam vitam, NEC CONFITERENTUR, NEC MORES MUTARENT.

Hæc sunt illa dogmata, à Parisiensibus & Rothomagensibus Parochis Archiepiscopis suis & Clero Gallicano exhibita. Quo facto, Jesuitæ, eò se progressos esse videntes, unde honestè pedem referre non possent, librū ediderunt hoc titulo; *Apologia Casuistarum contra calumnias Jansenistarum*, quo & Probabilitatis, aliaque absurda dogmata defendere majori impudentia atque impietate sategerunt, ipsoq; Jansenistarum nomine aliquam Parochis illis notam affricare conati sunt. Majori itaque zelo excitati Parochi etiam illam Apologiam perlustrarunt, & pestiferis inde dogmatibus excerptis atque demonstratis, illam quoque examinandam censendam damnandamque suis Archiepiscopis obtulerunt. Brevitatis studio illos Apologiæ errores extractos jam omittam, quod ejusdem sint notæ cum superioribus; pauca tamen his sunt addenda. Cum enim jam omnis Gallia his motibus agitaretur, & Casuistis eorumque Apologiæ se tantum non omnes opponerent, qui aliquam pietatis & bonorum morum existimationem amabant, etiam Parochi Ambianenses suas suo Episcopo querelas exposuerunt, & simul exhibuerunt trium Casuum Conscientiæ Professorum in Academia Ambianensi dogmata, videlicet Longuetii, Simonis Lessii, & Poignantii, Jesuitarum. Quæ si adjecero, plura vix quenquam desideraturum esse existimo, nisi jam satias cœpit fieri.

LONGUETII hæc sunt.

DE SIMONIA.

Non est peccatum Simoniæ, *si officium spirituale præstetur, etiam primò & per se, propter emolumentum tanquam pretium factum, quod requiritur ad simoniam.* quæst. 2. de simon.

Qua-

640. *Hoc verum censeo, etiamsi is qui audit legere, legentem induxerit ad legendum; inducere enim alium ut legat, non est legere; & Censura contra facientem lata, non illigat consulentem, nisi in Bulla exprimatur: incurret vero Censuram famulus legens, nisi ignorantia excusetur.*

IDEM Theol. Mor. tr. 6. Exam. 2. c. 6. Praxis ex Societ. Jes. Doctorib. 43. *Pro intercessione ad beneficium potest aliud dari sine simoniæ suspicione? Si v.g. aliquid das Antonio ut intercedat apud Petrum collatorem beneficii; simoniacus es. Si autem das aliquid Joanni, ut apud Antonium intercedat, ut ipse Antonius apud collatorem tuus intercessor existat, ex Vasq. sententia (quem citat & sequitur Sanch. dub. 26. n. 7.) à simoniæ periculo liberaris: quia illa intercessio remota est merè temporalis. Moneo aliquos apud Sanctium docere, simoniam illam quæ committeretur solvendo pretium intercessori immediato, esse solius juris humani, non divini vel naturalis; quia hæc etiam intercessio temporalis est.*

IDEM Theol. Mor. tr. 1. Exam. 16. c. 4. Praxis ex Doctorib. Societ. Jes. 36. *Cessat dispensationis causa, num dispensatio cesset? Negative respondet Salas disp. 20. sect. 5. n. 63. quia in dispensatione intelligitur conditio, si causa permaneat. Porro Sanchez dist. 20. n. 14. affirmat; quia cessante causa, cessat lex communis, quæ majoris est roboris. Itaq; dispensatus à Pontifice sine ulla limitatione ad non jejunandum per totam vitam, etiam si causa v.g. infirmitas cessaret, uti posset dispensatione: verum conditionem illam subintelligi abnegatur.*

Secundum hanc doctrinam novus quidam Casuista P. BUSENBAUM statuit lib. I. tr. 2. c. 4.

1. *Cum quo dispensatum est propter morbum in esu carnium, potest vesci, licet omnino convaluerit.*

2. *Cum quo propter infirmitatem dispensatum est, in voto religionis, postquam convaluit non tenetur.*

3. *Cum quo propter oculorum infirmitatem dispensatum fuit in onere recitandi Horas, etsi convaluerit, non tenetur legere.*

ESCO-

ESCOBAR Mor. Theol. tr. 7. Exam. 5. c. 8. Praxis ex Societ. Jes. Doctorib. 61. *Indicitur eleemosyna ad indulgentiæ lucrationem, sufficit qualibet? sufficit OBOLUS, si non indicatur fieri cum proportione ad facultates.*

IDEM Theol. Mor. tr. 7. Exam. 5. Praxis ex Societ. Jes. Doctorib. 59. *Scio debere opponi opera, jejunium scilicet, eleemosynæ, confessionis, &c. Rogo, si hujusmodi opera moraliter bona, ex circũstantiis fiãt mala aut venialiter, aut mortaliter, sufficiuntne ad indulgentiæ lucrationẽ? Granadus d. 4. n. 10. sufficere docet, opus esse bonum ex suo genere, licet ex circumstantiis & in individuo malum sit; quia præcepta divina & humana implentur per opera ex suo genere bona, licet individualiter peccaminosa. An opus est opera illa potissimum ob indulgentiam effici? Satis est in eum finem exsecutioni mandari, licet alius finis æquè aut magis principaliter intendatur. Granadus.*

IDEM Theol. Mor. to. 1. l. 6 sect. 2. c. 10. Probl. 6. p. 187. *Supplicationem quis facit diminutam ad privilegium obtinendum, & Princeps ex illa movetur privilegium concedere, aliàs non concessurus cognita veritate: tunc est & non est irrita concessio.*

113. *Concessio non est irrita, sed valida; quia omnes doctores qui supponunt veritatis taciturnitatem non vitiare gratiam proprio ex motu concessam, supponunt petitam esse. Et videtur apertè constare ex Clem. si Romanus. de præbend.* Ergo *si ex petitione diminuta redditur concessio nulla, nullus est casus, in quo propriè ex taciturnitate veritatis facta à privilegiario valeat gratia; neq; clausula motus proprii aliquid speciale operaretur in privilegio, ubi privilegiarius integram gessit supplicationem, quod est contra communem sententiam, ut videre est in Menochio de arb. l. 2. Cent. 3. casu 201. n. 81. Et Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 21. q. 3. n. 49. Ita Castro Palao to. 1. tr. 3. disp. 4. pun. 2. §. 6.*

114. *Idem asserendum existimo: etsi enim Princeps fortè concessurus non esset privilegium, si veritatem integrè cognosceret, at absolutè vult concedere, & supplere defectum eo ipso quod*

addit, ex motu proprio se concedere. Scio quidem aliquando ob diminutam relationem privilegii, concessionem esse nullam, cum scilicet relatio est occasio ut res diversa ab ea qua conceditur intelligatur. Si enim v. g. petens beneficium Ecclesiasticum tacens esse regulare, vel hospitale, vel alteri unitum, nulla erit concessio, etiamsi motu proprio fiat, non tam ob veritatis taciturnitatem, quam ob defectum intentionis in concedente.

IDEM Theol. Mor. tom. 1. lib. 1. sect. 2. c. 7. Probl. 26. p. 27. *Licet, & non licet ob gravem metum in administratione Sacramentorum simulatione uti.*

136. *Licere probatur. Quia quoties adest justa causa, quilibet uti potest æquivocatione, restrictione mentali, vel simulatione, qua fictio à mendacio liberatur; sed urgente gravi metu causa justa subest Sacramentorum administrationem simulandi: ergo licebit tunc uti simulatione. E. g. Minetur quis mortem Sacerdoti, nisi consecret omnem panem fori (non in Religionis contemptum) poterit Sacerdos verba consecrationis sine intentione consecrandi proferre; quia subest justa causa simulandi consecrationem; ne, si consecret, multæ particulæ consecratæ pereant, & irreverenter absumantur panes consecrati: vel si non proferat verba, necetur. Ita Joan. Sanct. in select. q. 9. disp. 35. n. 6. cujus sententiam videtur approbare Diana p. 3. tr. 6. resol. 83.*

138. *Mihi certè mei amicissimi P. Ferdinandi de Castro Pal. vocitantis primam sententiam audacem ac temerariam, nimiùm rigida censura videtur, dum lego graves Doctores affirmantes in quibusdam eventibus licere hostiam non consecratam pro consecrata porrigere, quia procul dubio major est simulatio.*

IDEM Theol. Mor. tom. 1. l. 1. sect. 11. c. 7. Probl. 24. p. 26. *Ex metu gravi licet, & non licet contrahere matrimonium.*

131. *Licet plane; quia qui contrahit metu, non efficit contractum; non quidem sua culpa, sed culpa illius qui metum incutit; illa vero culpa posita contractus irritatur ab Ecclesia; quare*

quare sic contrahens non delinquit; quia non applicat materiam aut formam indebitè Sacramento, cum ibi non sit contractus legitimus, in quo materia & forma Sacramenti matrimonii consistit. .. Sic Coninch de Sacr. disp. 28. dub. 3. Valen. tom. 4. disp. 10. q. 3. pun. 2. Castro Palao tom. 1. tr. 2. disp. 1. pun. 13. n. 7.

132. *Moneo huic hærens sententiæ probabiliori quidem, verba proferenda ab eo, qui ad matrimonium contrahendum cogitur, materialiter, sicut aliquando sine intentione consecrandi verba consecrationis proferimus ad recolendas Missæ ceremonias sine consecrandi intentione, aut uti eum debere æquivocatione (quamvis addito juramento) vel restrictione mentali, videlicet* accipio te in uxorem, *interius intelligendo,* si teneor; *non enim mentitur, cum nihil asserat contra mentem. Accepi ex Sanch. de matrim. l. 4. disp. 16. n. 1.*

IDEM tr. 1. Exam. 17. n. 144. *Expendas quæso, num sint commutabilia vota.... Non fornicandi, & castitatis conjugalis.... Porro de voto fornicandi, aut non committendi crimen mollitiei, commutari posse Lessius asserit; quia non sunt perfectæ castitatis vota. De castitate deniq; conjugali idem Sanchez affirmat.*

IDEM Theol. Mor. Tom. 1. l 7. sect. 1. n. 245. *Si juramentum non cedat in utilitatem ejus cui præstatur, sed tantùm in utilitatem jurantis, potest commutari per bullam; quia tale juramentum potest dispensari per Bullam: verbi gratia, si jurasti Antonio te auditurum Missam, vel non perpetraturum* TALE PECCATUM, *quia hujusmodi juramenta magis inducunt rationem voti quàm juramenti, & per ea nullum jus homini, sed tantùm Deo paratur.*

IDEM Theol. Mor. tr. 1. Exam. 11. c. 4. Praxis 108. *Tempore præfationis venit quis ad sacrum audiendum quod unicè celebratur, teneturne illam singularis illius Missæ partem audire? Sanchez & Suarius teneri asserunt, quod illa præcipua sit sacri pars. Ego autem probabiliter assero, non teneri; quia per illam partem Missæ non potest implere præceptum.*

IDEM Theol. Mor. tr. 1. Exam. 8. c. 3. Praxis ex Soc. Jesu Docto-

Doctorib.89. *Circa verba quæsierim, an peccaret mortaliter, qui feminam solicitaret sine intentione executionis, ob solam ostentationem amoris; si sciat certò illam minimè ad adsensum alliciendam? Peccat planè; quia ad scandalum illam adfert. Quid si tam effrenatæ libidinis sit qui solicitat, tantaq; jam infamia circa libidinem laboret, ut nullatenus femina ad scandalum offerenda sit? Non delinquet mortaliter.*

IDEM Theol. Mor. Tom. 1. l. 3. sect. 2. c. 10. Probl. 52. p. 102. *Quis per expressum pactum cum dæmone divinans debet, & non debet in confessione reserare.*

236. *Non debet: quia circumstantiæ aggravantes laudabiliter certè, non tamen necessariò sunt in confessione aperiendæ. Ita Dian. p. 1. tr. 7. resol. 66. Profectò divinationum non sunt species diversæ omnino in genere moris: Unde non est necessarium profiteri an divinatio per inspectionem avium, an per lineamentorum signacula, an per expressam Diaboli invocationem fuerit captata.*

IDEM Theol. Mor. tr. 6. Exam. 7. c. 7. Praxis. p. 954. *Porro prædicare quem principaliter ob gloriam, aut pecuniam, mortale non esse affirmo.*

IDEM Theol. Mor. tr. 7. Exam. 2. c. 4. Praxis p. 980. *Adjicio ex Laymanno, non esse improbandam consuetudinem, qua queisdam in locis Catholici patrini sunt filii hæreticorum, illos hæretico Ministro baptizante.*

Post hæc ex variis Casuistarum scriptis alia quædam sequuntur dogmata.

SANCHEZ in sum. lib. 1. c. 7. n. 10. *Deducitur quid dicendum sit in ea quæstione, An liceat domum meretrici, vel usurario locare? Navarrus satis scrupulosè locutus est .... Videtur censere id non esse licitum .... Quod etiam sequitur Lud. Lopez .... Sed ultra alios optimè Valentia 2. 2. dis. 5. q. 20. pun. 5. col. 3. versu, Ex hoc autem; & melius q. 21. punct. 4. col. pen.* Et *Azor 2. tom. instit. Mor. l. 12. c. ult. q. 3. censent etiam nulla causa justa excusante licere locare domum meretrici, vel usurario publico, modo non sit alienigena, propter prohibitionem d. c. 1. Quod multum*

inter

inter materiam & locum intersit; illa enim intrinsecè pertinet ad peccatum, & proximè se habet ad illud: ac proinde maximè sumitur ex illa peccati occasio, & ideo causa excusanti opus est, ut illa quamvis indifferens ex se sit, licitè ministretur. Hic autem se omnino extrinsecè ad peccatum habet, nec ex eo propriè occasionem peccandi homines sumunt, etsi peccando loco abutuntur. Sicut & aëre, cibis, & aliis ad vitam necessariis abutuntur. Quæ tamen illis dare absque causa excusanti licet. Adde domum non ei usui potissimum deseruire, sicut nec cibos, nec alia ad vitam necessaria. Hanc tamen sententiam bene limitant Valentia in hoc posteriori loco, & Salon. 1. 2. q. 77. a. 4. controv. 6. post 4. conclus. corol. 3. nisi accideret, ut ob loci circumstantiam aliquis peccatum admitteret, quod eo sibi non concesso loco minimè perpetraret. Tunc enim si absq; suo detrimento posset, teneretur hic non locare domum. Quod idem ego credo, quando in ea domo ratione situs, aut alia esset specialis ad ea peccata committenda aptitudo. Quippe tunc videretur locans adjuvare, & ideo causa aliqua excusanti indiget. Similiter etiam bene limitat Salon. ex contr. 6. paulò antè ad solutionem ad argumenta, nisi vicinia meretricis domum conducentis plurimum feminis honestis vicinis noceret. Tunc enim ob id damnum necessaria est causa justa locantem excusans. Quam tamen esse censeo, si nequit commodè alii locare.

Idem docent alii Jesuitæ; Vasquez in opusc. de scandalo. q. 43. a. 8. du. 5. n. 48.

Rebellius lib. 14. q. 17. n. 8.

Castrus Palaus t. 1. tr. 6. disp. 9. pun. 12. n. 1.

Azor & Valentia citati à Sanchez.

GASPAR HURTADO, Jesuita, apud DIANAM 5. part. p. 435. *Primo famulus qui nequit facile invenire herum & tam utilem sibi, potest, quando non est in eo prava intentio, & non constat herum ex passione aut ignorantia abusurum, jussu ipsius heri videre, quo femina aliqua eat, & ubi habitet eiq; munuscula deferre, herumq; comitari ad domum concubinæ sive causa honoris, sive defensionis heri, & ei pedem sustinere ad ingrediendum*

per fenestram domum concubinæ, & ei picturam concubinæ emere, & ire ad concubinam, & ei dicere: Herus meus te vocat, & eam ad domum heri comitari, & januam ei aperire, & eis lectum sternere; non tamen potest eam invitare ad actum ipsum inhonestum cum hero, nec litteras heri eam ad id invitantis deferre, sicut nec litteras heri provocantis aliquem ad duellum, nempe, conveniamus tali hora, & tali loco pugnaturi, si famulus saltem probabiliter credat literas esse invitantes ad actum inhonestum, vel ad duellum: quod addimus, quia quamvis dubitet, an literæ sint invitantes, posse eas deferre affirmant Rebell. *lib. 2. p. 1. q. 14. n. 5. &* Castro *pun. 11. & etiam posse literas aliter amatorias non invitantes deferre, sicut & literas ad duellum pertinentes, non invitantes, nempe, conveniamus tali hora & tali loco, non addendo, pugnaturi; & posse similes literas jussu heri scribere. Potest autem ministrare & exhibere omnia, quæ diximus posse; quia omnia ea sunt ex se indifferentia, quæ possunt usui bono & malo deservire, & aliàs supponimus herum non abusurum ex passione, nec ex ignorantia; &* ADEST UTILITAS FAMULO *in ea administratione materiæ, & in ea exhibitione ministerii; imò etiam incommoditas, si id recuset; quia id ægrè feret herus, ut credi potest. Et eadem omnia potest filius ad mandatum parentis, præsertim si ex omissione indignationem patris timeat, & eadem omnia quæ possunt famulus & filius, etiam potest quilibet alius* TITULO ALICUJUS CONSIDERABILIS UTILITATIS SIBI ACCRESCENTIS, *& multò melius titulo vitandi aliquod grave incommodum, aut damnum. Imò ad hoc vitandum potest ea ministrare, aut exhibere, quamvis scandalizandus id sit effecturus ex passione, aut ex ignorantia. Addimus licitum esse alicui præbere munera concubinæ judicis, & ab ea petere, ut intercedat pro eo apud judicem, quando intercessione illius sperat favorabilem sententiam, & ei non se offert alia via facilis obtinendi talem sententiam; quia id possunt concubina, & judex licitè efficere, & possunt si velint non se injicere in periculum probabile turpis amoris.*

Idem

Idem docet ESCOBAR Theol. Moral. tract. 7. Exam. 4. c. 8. n. 223.

THOMAS SANCHEZ in Summa lit. 2. c. 32. n. 44. *Sexta conclusio. Juxta decretum Conc. Lateranensis sess. 9.* §. *ad* abolendam, *Blasphemus non potest absolvi à confessore, nisi gravissima pœnitentia ipsius arbitrio imposita: Sic enim expressè ibi definitur. Et ita docent Navarrus, Ludovicus Lopez, Petrus de Ledesma. At id decretum non est usu receptum, & ita hodie non obligat. Quod docent* ARMILLA *verbo*, Blasphemia; *& ibi* EMANUEL SA *n. 2.* AZOR, SUAREZ.

BAUNIUS Tract. 10. de Presbyteris & Parochis q. 32. pag. 488. *Præter levitatem materiæ sunt & alia, quæ à peccato Parochum non concionantem eximunt.*

Primò, inopia in Parocho tam doctrinæ, quam commeatuum ad eum alendum, quem sibi in hoc ministerio gravi ac necessarie edocendæ plebis substitueret. Ratio est, quod impossibilium nulla sit obligatio: at Parocho inscienti & ignaro impossibile est loqui publicè, ac de virtute præcepta dare, quemadmodum & de re domi qui vicem suam obeat, si vix in possessionibus ipse tantum habet, quantum ad vitam parcam tenuemq; est necesse.

SANCHEZ opusc. Moral. l. 7. c. 2. du. 9. *Triplex est sententia.*

1. Docet Clericum recitantem horas de præcepto in mortali, peccare.

2. Sententia docet, quod orans sive ex devotione, sive ex præcepto, non peccat per hoc, quod est in peccato mortali; quia hic non est actus proprius ordinis: at peccaret si actu peccans, vel actuale habens propositum peccandi, oraret.

3. Sententia asserit, non peccare qui recitat etiam ex præcepto in peccato mortali, & CUM PROPOSITO ACTUALI PECCANDI MORTALITER. *Ratio; nam voluntas colendi Deum, & petendi aliquid ab eo, stat cum actuali peccandi proposito; sicut stat facere opus moraliter bonum, ut jejunare, cum actuali proposito peccandi: ita tenet Navar. reprobans sententiam Molinæ, cap. quando*

de c.6.Hisp.n.40.41.& c.20.Hisp.n.32.Lot.n.25.& hac sententia est verior.

CARAMUEL Theol.Fund.p.520.

CASUS. Sacerdos quidam quotidie recitare consuevit Officium Romanum festo Resurrectionis Dominicæ proprium; & modo quærit: An peccaverit? Et si sic, qualiter? ...

Respondetur primò, illum Sacerdotem, si quotidie citra ullam rationabilem causam Officium resurrectionis recitet, peccare quotidie tantummodo venialiter....

Respondetur secundò, Sacerdotem illum, si id quod in casu proponitur, faciat quotidie ex mediocri & ratiocinabili causa, nunquam ullo modo, ne venialiter quidem peccare.

GRANADOS, DIANA, MACHA apud ESCOBAR Th. Mor. l.3.p.83. *Habens voluntatem peccata omnia veniali perpetrandi, peccat, & non peccat mortaliter.*

Non peccat: quia malitia interni actus voluntatis desumitur ab objecto, prout proponitur à ratione: sed objectum hujus internæ voluntatis sunt omnia venialia, & nulla major malitia proponitur à ratione præter malitiam venialem: ergo interna voluntas perpetrandi omnia peccata venialia non potest esse culpa lethalis. Ita Granad.1.2.contr.6.tr.2.dis.2.sect.7.Dian.p.3.tract.6.res.24.Macha t.1. l.2.tr.2.doct.5.

BAUNIUS tr.4.de Pœnit.q.15.p.138. *An scienter peccare sit circumstantia in Confessione aperienda necessariò? Nequaquam... Facit ad confirmandam hanc opinionem praxis fidelium, quos certum est circumstantiam hanc non confiteri, nisi ex scrupulo valde culpabili.*

BAUNIUS Theol.Mor.tr.12. de impedimento raptus p.721. *At enim habet ea fuga licet spontanea parentum injuriam, jus eorum infringit ac violat, quisquis illecebris aut prece delusam ex eorum oculis jureq; puellam subducit.* Huic objectioni ita respondet: *Primò negari debet fuga spontanea puellæ è domo patria jus lædi patrium, quia ei obesse nihil solet præter vim & injuriam, cum qua precibus quid commune?*

CA-

CARAMUEL Theol. Fundam. p. 737. *Quid si dicamus, posse Remp. condemnare sententia ultima adulteros, & exsecutionem sententiæ committere lictori, & si velit aut parenti, aut marito? Porrò in tali casu illis daretur autoritas, ut non nomine proprio, sed nomine Reip. ut ministri autoritate publica instituti, comprehensos in adulterio liberè & impunè confodiant. Et hoc licere docet* CASTILLUS *in l. 82. Tauri n. 6. Cujus opinioni probabiliter subscribit* LESSIUS *lib. 2. c. 9. dub. 5. n. 16. quam nescio ab alio quàm à solo Basilio Pontio* uti supra *improbabilem dici: me enim judice stando autoritati est probabilis; & stando rationi, quam debuisset percallere Basilius, certa & evidens.*

Si objicias Nicolaum Pontificem Summũ c. inter hæc. *dicentem, non licere secundum leges Ecclesiasticas uxorem adulteram interficere; Respondebimus ... id non militare contra Castillum, Lessiũ, aut etiam nos, qui illorum sententiæ subscribimus: non enim asserimus id licere secundum Canonicas, sed secundum Civiles ... Unde ad uxoricidium & filiicidium deveniendo, puto nullum Ecclesiasticum posse suam uxorem aut filiam in adulterio comprehensam occidere: Et ratio est, quia ad Canones est judicandus. Quamobrem si duo conjugati communi consensu ad Religionem transirent, vel Sacerdotes uxores ducerent, tunc nec Ecclesiasticus uxorem, nec pater secularis filiam Religiosam, nec Ecclesiasticus secularem, nec Ecclesiasticus Religiosam posset occidere, tametsi in actuali adulterio repertam:* POSSET TAMEN SECULAREM, *si Ecclesiæ seculariter non sit subjectus.*

CARAMUEL Theol. Fund. p. 555. *Cum melior sit Cantor qui Eunuchus, colligitur pueros posse ad conservandam vocis suavitatem castrari. Patet; nam adversarii ipsi non negant magni debere fieri vocis excellentiam, vocis securitatem, stipendii opulentiam, & apud Reges & Principes autoritatem.*

IDEM p. 556. *Ad quartum, nego non debere tanti fieri favorem & gratiam apud Principes, ut membrum ideo excidi possit. Peto enim ab ipso Diana, Annon mallet, si sine peccato fieri posset, habere honores quos desiderat, & si deberet unico digito pedis ad nihil*

 neces-

ves fuerunt. Cessat enim his .... qui quidem si scirent duraturam vitam, NEC CONFITERENTUR, NEC MORES MUTARENT.

Hæc sunt illa dogmata, à Parisiensibus & Rothomagensibus Parochis Archiepiscopis suis & Clero Gallicano exhibita. Quo facto, Jesuitæ, eò se progressos esse vidētes, unde honestè pedem referre non possent, librū ediderunt hoc titulo; *Apologia Casuistarum contra calumnias Jansenistarum*, quo & Probabilitatis, aliaque absurda dogmata defendere majori impudentia atque impietate sategerunt, ipsoq; Jansenistarum nomine aliquam Parochis illis notam affricare conati sunt. Majori itaque zelo excitati Parochi etiam illam Apologiam perlustrarunt, & pestiferis inde dogmatibus excerptis atque demonstratis, illam quoque examinandam censendam damnandamque suis Archiepiscopis obtulerunt. Brevitatis studio illos Apologiæ errores extractos jam omittam, quod ejusdem sint notæ cum superioribus; pauca tamen his sunt addenda. Cum enim jam omnis Gallia his motibus agitaretur, & Casuistis eorumque Apologiæ se tantum non omnes opponerent, qui aliquam pietatis & bonorum morum existimationem amabant, etiam Parochi Ambianenses suas suo Episcopo querelas exposuerunt, & simul exhibuerunt trium Casuum Conscientiæ Professorum in Academia Ambianensi dogmata, videlicet Longuetii, Simonis Lessii, & Poignantii, Jesuitarum. Quæ si adjecero, plura vix quenquam desideraturum esse existimo, nisi jam satias cœpit fieri.

LONGUETII hæc sunt.

DE SIMONIA.

Non est peccatum Simoniæ, *si officium spirituale præstetur, etiam primò & per se, propter emolumentum tanquam pretium factum, quod requiritur ad simoniam.* quæst. 2. de simon.

Qua-

Quælibet donatio rei sacræ pro temporali non est simonia, sed donatio pro re temporali, tanquam pretio & mercede pacta. quæst. 3. ibid. Quæritur 4.

Non qualibet conditio, etiam pacta, facit simoniam; sed ea modò quæ pretii & mercedis locum habet, & novum onus atq; obligationem quasi justitiæ commutantis inducit. quæst. 3. de simon. Quæritur ultimò.

DE USURA.

Licet sperare & optare lucrum ex mutuo, mediante benevolentia & gratitudine, non tantum secundario & minus principaliter, sed etiam primariò & principaliter. Disp. 3. de var. causis usur. excus. qu. 1. Resp. 3.

Licet quoq; accipere. Ibid.

Potest quis mutuum dare alteri ex conditione & lege, ut ex ejus officina emat, ejus molendino molat, aut aliquid obsequii præstet, si id exigatur benevolentiæ & amicitiæ jure. Ib. q. 4. Resp. 1.

Non est usura, si tibi mutuem ea lege, ut mihi vel meo cuipiam officium aliquod temporarium referas ex pacto amicitiæ. Ib. qu. 5. Resp. 2.

Compensatio mutui, quæ fit officio aliquo temporario pretio æstimabili, nisi per commutationem detur ad satisfaciendum justitiæ commutanti, non est usura. Ob. & Resp. neq. majorem.

Si tibi mutuem ea lege, ut beneficium Ecclesiasticum ex pacto amicitiæ reponas, nec est usura, nec simonia. Ibid. quæst. 6. Resp. 1.

Propter periculum amittendæ sortis principalis licet exigere aliquid amplius quam valeat. Ib. qu. 10. Resp. 1.

Licet lucrum sumere ex mutuo ratione pœnæ conventionalis. v. gr. nisi definito tempore restituas, tantum pecuniæ loco pœnæ persolves: vel si intra tempus constitutum non restituas mutuum, in pœnam postea solves usuram vel interesse. Ibid. quæst. 11. Resp. 2. & 7.

Non

Non tenemur opitulari proximo gravi necessitate laboranti, nisi possumus cum levi tantùm detrimento rerum nostrarum. In 1.præc. Decal. qu.12. de Eleem.

Communem necessitatem patientibus non tenemur eleemosynam largiri, nisi possimus absq; ullo incommodo. Ibid.

DE HOMICIDIO.

Ad tuendum honorem suum, & propulsandam infamiam, licet occidere. In 5. præc. Non occides, qu.4. Resp 2.

Potest nobilis, ut fustium verbera evadat, hostem occidere, si non potest aliter; quia hoc est infame nobili. Ibid.

Quia fuga est infamis nobili, si non potest aliter quàm fuga vel cæde mortem evadere, potest occidere. Ibid.

Si ille quem alius aggreditur, non potest fugere absq; suo dedecore, non tenetur id agere, & si non potest vitare vulnus quod alter molitur, potest occidere. Ibid.

Licet ad res tuendas alterum occidere. Ibid.

DE DUELLO.

Licet homini injustè oppugnato, occidere in duello. Ibid.

Duellum est licitum & justum, quando ad effugiendam membri mutilationem certò imminentem necessarium est. Ibid.

DE FURTO.

Si parentes, quorum causa vel in rure, vel in officina, vel aliter laborant liberi, non satisfaciant, si sint grandiores, deductis impensis, quas pater in illis alendis fecit, possunt pro suo labore & industria tantumdem illis surripere, quantum daretur extraneo. In mandat. 7. Non furaberis. qu.1. Resp.4.

Possunt liberi, si parentes sæpe rogati & tentati precibus id abnuunt, illis surripere, animi relaxandi gratia, quantum illis consuetudo & conditio permittit. Ibid.

Si silvæ sunt communes pago aut civitati, non peccant gravi-

S *ter,*

ter, nec restitutioni sunt obnoxii, qui aliquot arbores cædunt in utilitatem propriam. Ibid. q. 5. §. Adverte 1.

Non peccat contra justitiam, nec tenetur restituere, qui pecuniam accipit, ut occidat, percutiat, &c. quæ sunt contra justitiam. Ibid.

Quando quis ita eget, & alter ita abundat, ut qui abundat, teneatur opitulari illi qui eget, potest ille qui eget, occultè & bono modo rem alterius accipere, sine peccato & obligatione restituendi, qu. 11.

Qui in silvis privatis aut publicis ligna cædunt ad focum, aut panem surripiunt, non peccant graviter, nec restitutioni tenentur. Ibid.

Qui cessit bonis, non tenetur restituere. Ibid.

Qui cedit bonis, potest sibi suisq; retinere quæ necessaria sunt ad statum moderatè sustinendum. Ibid.

Similiter conjux & liberi: nec tenentur restituere cum tanta jactura. Ibid.

Seqvuntur

SIMONIS LESSII

dictata.

De

PROBABILITATE.

Sententia probabilis ea est, quæ unius viri docti & pii autoritate nititur. De præceptis Decalog. c. 1. art. 4.

Quamvis una sit probabilior etiam & tutior, tibiq; etiam probabilior & tutior videatur; quamvis non deseras tuum judicium speculativum, licet tibi in praxi illam deserere sequendo minus probabilem. Ibid. *Illa pars dicitur tutior, in qua aut nullum peccatum esse potest, aut propter vitandum majus malum, minus eligitur.*

Do-

Doctores licite possunt contra opinionem suam aliis consulere, sequendo alienam. Ibid.

Confessarius potest pœnitentes absolvere secundum probabilem opinionem pœnitentis, contra suam propriam: Imò & tenetur. Ibid.

DE AMORE INDEUM.

Qui in articulo mortis conscius est sibi peccati mortalis, tenetur quidem conteri, sed ex præcepto charitatis sui, non Dei. Sect. 3. de Charit. art. 1.

Non omnibus diebus festis, nec in articulo mortis, nec cum aliquis singulari aliquo beneficio à Deo afficitur, nec cum vult baptismum suscipere, nec cum tenetur actum contritionis elicere, nec, cum rationis usum assecutus est, tenetur quis actum amoris elicere, nec cum martyrium subeundum est; quia tunc sufficit attritio. Ibid.

Peccant graviter qui vendunt Reliquias, easq́ exponunt ad quæstum, ita ut intendatur lucrum tanquam pretium rei spiritualis; secus si sit tantùm tanqvam stipendium debitum sustentationis, vel tanquam eleemosyna. Ibid. art. 9.

DE OFFICIO DIVINO.

Excusantur ab Officio recitando, qui negotiis publicis, etiam secularibus, magni momenti detinentur, si commodè non possit recitari Officium, vel sine aliquo damno. Sect. 5. art. 5.

Qui prævident se occupandos, possunt & debent prævenire occupationem, si possunt commodè: non videntur tamen teneri ad aliquid detrahendum de somno necessario. Ibid.

Beneficiarii omittentes Officium, non tenentur ad restitutionem ex lege justitiæ, quia jus fundatorum cumulatissimè compensatur, vel unica recitatione Orationis Dominicæ, cum ejusmodi oratio nullo pretio temporali sit æstimabilis. Ibidem art. 12.

Non requiritur ex præcepto Ecclesiæ attentio interna,

cùm recitantur Horæ Canonicæ, sed externa sufficit. Ibid. art. 14.

Qui toto matutino tempore legitimè impeditus fuit, non tenetur vesperi recitare Officium totius diei. Ibidem art. 15.

Qui non potest tempore congruo Horas recitare, post tempus elapsum non tenetur illas recitare. Ibid.

Non peccant, qui in solennibus festis diebus totam noctem usq; ad sextam matutinam, & nonam etiam laborant; & vestes necessarias, calceosq; conficiunt, quos non potuerunt pridie perficere. De 3. Decal. præcept. art. 2.

DE OFFICIO LIBERORUM ERGA SUOS PARENTES.

Non potest parens compellere filium, ut sibi ministret, nec ut secum habitet. De 4. præc. Dec. art. 3.

Si filii bona fide putent parentes sibi condonaturos quæ surripuerint, si auderent rogare, non tenentur restituere, quando talis est consuetudo aliorum ejusdem status. Ibid.

DE CONJUGE.

Mulier, etiam prohibente marito, potest contrahere, validas eleemosynas aut donationes pro libito agere, expensas in ludo & recreatione honesta facere, & comparando sibi ornatui. Ibid. art. 7.

DE ELEEMOSYNIS.

Non est certum nos teneri sub mortali, per eleemosynas subvenire proximo in necessitate gravi existenti: quare non sunt condemnandi divites peccati mortalis, qui non subveniunt proximo in tali necessitate.

DE SCANDALO.

Mortaliter non peccant mulieres, quæ se præbent conspiciendas

das adoleſcentibus, à quibus ſe credunt turpiter concupiſcendas, ſi hoc faciant aliqua neceſſitate, aut utilitate, aut ne ſe privent ſua libertate, vel jure exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium vel feneſtram domus. Ibid. art. 4.

Tabernarii, caupones miniſtrantes vinum ad ebrietatem, quando absq; gravi damno id vitare nequeunt, & desererentur ab hoſpite, & nihil venderent in illis locis, ubi vitium ebrietatis familiare eſt, eisdem licet diebus ab Eccleſia prohibitis miniſtrare carnes in iis regionibus, in quibus frequentes ſunt hæretici; licet etiam diebus jejunii miniſtrare cibos petentibus quacunq; diei hora, imò non peccant porrigentes cœnam ſolventi jejunium, quando alibi poteſt inveniri. Ibid.

DE HOMICIDIO ET DUELLO.

Cuilibet privato licet occidere adverſarium, qui accedit ad feriendum, & non poteſt evadere niſi fugiat, vel præveniat. Nobiles non tenentur fugere, quia hoc ipſis eſſet dedecori, & poſſunt occidere. Ibid. art. 5. de Homicid.

Licitum eſt occidere furem in defenſionem ſuarum facultatum, ſi illa ſint magni momenti. Ibid.

Licitum eſt offerre vel acceptare duellum, quando illud eſt omnino neceſſarium ad conſervandas vel recuperandas res temporales magni momenti. Ibid.

Poſſunt ſine jactura honoris vitare duellum. 1. Si provocatus reſpondeat: Nolo ſtultè agere contra edicta Regis, & Eccleſiæ præcepta; ſed ſi me aggredieris palàm, non proditoriè, invenies me virum eſſe. 2. Si reſpondeat provocatus: Ego cras in viam me dabo, & per talem locum tranſibo, quod ſi me offenderis, propter te non declinabo de via. Ibid.

DE FURTO.

In gravi neceſſitate morbi, famis, nuditatis, poteſt quis clanculum ſurripere ab opulentis, ſi grave illud malum aliter avertere nequeat. In 7. & 10. præc. Decal. art. 1.

Domestici, vel alii, si aliquid accipiunt ex præsumpta voluntate domini, quia sibi rationabiliter persuadens, dominum non fore injustum, nullum committunt peccatum. Ibid.

Reliqua sunt

POIGNANTII

placita.

DE SIMONIA.

De ratione Simoniæ est, ut res spiritualis æquetur in valore cum re temporali. De Sim. qu. 3.

Quacunque ratione alia quam ut pretium rei spiritualis res temporalis detur pro spirituali, non est simonia. Ibid.

Si quod sit motivum honestum, non est simonia, etsi dando pecuniam intendat immediatè & proximè, imò etiam & principaliter, accipere beneficium, modo non adjungat intentionem pretii, etiam minus principaliter. Ibid. qu. 5.

Non est peccatum simoniæ, exprimere desiderium suum donando aliquod temporale, ut alter se gratum præstet donando aliam rem spiritualem, modo præcisè intendatur, ut satisfiat obligationi antidorali. qu. 6.

DE PROBABILITATE.

Opinio probabilis ea est, quæ unius viri docti autoritate nititur. Sic Scholastici possunt sequi opinionem sui præceptoris tanquam probabilem. De princ. casuum consc. qu. 5.

Licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam, relicta probabiliori. Item nec in dubiis tenemur eligere tutius. Tutior illa sententia est, in qua nullum inest peccati periculum, vel in qua minus malum est. Ibid.

Confessarius interrogatus de contractu, quem ipse judicet esse usu-

usurarium, potest respondere non esse usurarium secundum probabilem aliorum sententiam. Ibid.

Confessarius interrogatus de hoc contractu, quem judicat esse usurarium juxta suam sententiam, & non esse usurarium, juxta probabilem aliorum sententiam, potest usurarium condemnare ad restitutionem juxta suam sententiam, vel excusare ab hujusmodi obligatione, relinquendo propriam sententiam, & sequendo alienam. Ibid.

Confessarius respondens juxta sententiam alienam, & contra propriam, non peccat, nec agit contra propriam conscientiam, nec se exponit periculo peccandi. Ibid.

Confessarius debet sequi sententiam pœnitentis, eique acquiescere, si sit probabilis, licet ipse eam falsam esse judicet, & contrariam multò probabiliorem. Ibid.

Confessarius non potest sine peccato mortali denegare absolutionem pœnitenti, qui sequitur hanc sententiam probabilem, quamvis eam falsam judicet. Ibid.

Judex quando opiniones ex parte juris sunt utrinque probabiles, potest utrum voluerit suo jure spoliare. Tit. Resolvuntur quædam diffic. ex judice.

Potest Judex, relicta probabiliori sententia, sequi minus probabilem. Ibid.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Attritio sufficiens cum sacramento est dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, ex motivo quidem honesto & supernaturali, sed alio quàm charitatis quod est ipse Deus, quatenus est summum bonum. Disp. 4. de sacram. pœnit. art. 1. de Contrit.

Qui sine hac attritione bona fide accedit ad sacramentum pœnitentiæ, quamdiu illa fides perseverat, non tenetur confessiones repetere, etiamsi non receperit effectum absolutionis, præsertim cum peccata in tali confessione exposita indirectè possint remitti

mitti per sequentes bonas confessiones, quas postea facturus est. Ibid.

Ut liber sit quis ab obligatione præcepti, sufficit quod probabiliter judicet se non obligari. art. 7. de peccatorum dubiis.

Qui dubitat positivè, seu probabiliter opinatur, quod non committit peccatum, aut quod illud non est mortale, aut quod illud jam declaravit in confessione, non obligatur ad id confitendum, licet rationes habeat, ob quas contrarium illi æqualiter probabile sit. Ibid.

Mendicantes & Privilegiati petita, & non obtenta licentia, sunt idonei ministri sacramenti pœnitentiæ. De ministro sacram. pœnit.

Papa pro quolibet loco, & quibuscunq. peccatis delegare potest, etiam inconsultis Episcopis & Parochis. Ibid.

DE OCCASIONE PROXIMA PECCANDI.

Potest quis absolvi etiam remanens in occasione proxima peccati, modò adsit causa notabilis impediens talem separationem, ut scandalum grave, infamia, incommodum. De bonit. Et scientia in Confessario requisit.

Atque hæc hactenus.



CAP. XI.

Clausulæ loco quadam ἐπίμετρος subjungitur.

EX hactenus congestis recitatisque Jesuitarum Novorumque Casuistarum dogmatibus satis superque constare cuilibet arbitror, quò eos provexerit sua PROBABILITAS.

Ple-

Pleraque enim ſunt talia, ut abſurdiora magiſque impia vix quiſquam poſſit comminiſci, damnata dudum à prudentioribus ethnicis, ut Theologiæ Moralis Doctores tanta veritatis luce circumfuſos æternùm pudere debeat, talia ſcita unquam protuliſſe, nedum conſueta ipſis pertinacia & ἰδιογνωμοσύνῃ defendiſſe. Eſcobarius quidem putat à Providentia divina ſuggeſtam eſſe Probabilitatem; quod non nego: at in eo errat, quod à propitio Numine illam profectam eſſe exiſtimet, cum ſuo ipſos deteſtabili commento puniat Deus, & lucem verbi revelati omnisque bonæ rationis proculcantes dira cœcitate ulciſcatur. Monet Apoſtolus Titum ſuum, *ut tenax ſit ejus, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelis ſermonis, ut potens ſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes convincere; eſſe enim multos intractabiles, vaniloquos, & mentium ſeductores. ad Tit.* 1. v. 9. & 10. Idem Tito commendat iterum *cap. 2. v. 1. Tu vero loquere, quæ decent ſanam doctrinam* & addit v. 10. *Ut doctrinam Servatoris noſtri Dei ornent in omnibus.* Idem Apoſtolus (arrigite aures Probabiliſtæ) ita ſcribit ad Timotheum ſuum 1. *ad Tim. 6. v. 3. ſeqq. Siquis diverſam ſequitur doctrinam, & non accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ; is inflatus eſt, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones ac diſputationum pugnas: ex quibus naſcitur invidia, contentio, maledicentiæ, ſuſpiciones malæ, ſupervacaneæ conflictationes hominum mente corruptorum, & quibus adempta eſt veritas, qui exiſtimant quæſtum eſſe pietatem.* Et v. 20. O *Timothee, depoſitum ſerva, devitans profanas vocũ inanitates*, ϰ̀ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμȣ γνώσεως *& oppoſitiones falsò nominatæ ſcientiæ.* Quo quæſo pacto cum graviſſimis hiſce præceptis & exhortationibus conveniunt Pyrrhoniæ Theologiæ voces: *Peccat, non peccat, Licet, non licet, Eſt, non eſt, Sufficit, non ſufficit?* Scilicet his Doctoribus illud evenit, quod Apoſtolus dicit ad *Rom. 1. v. 22. Cum ſe crederent ſapientes, Stulti facti ſunt.* Si igitur Deus tantam in gentiles effudit iram, quod non ſolùm ea fecerint, quæ Juri naturæ cordibus illorum inſcripto repugnarent, ſed

etiam adsensi fuerint iis, qui talia faciunt, Rom. 1. v. ult. quid justissimo Judici respondebunt Protei nostri, si divinis humanisque legibus spretis vagis opinionibus, propriis alienis, non tutis aut fallacibus ea dant & applicant, quæ non nisi indubitatis LEGUM regulis debent & possunt dirigi? Nihil respondere poterunt, sed τῆς συνειδήσεως καὶ τῶν λογισμῶν αὐτῶν κατηγορίας, *conscientiæ & cogitationum suarum accusationes anxii sentient*, *Rom.* 2. *v.* 15. eruntque, verbo ut dicam, ἀναπολόγητοι, *inexcusabiles. Rom.* 2. *v.* 1. Quæ cum ita sint, *non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ, per versutiam hominum, per astutiam, qua nos adoriuntur, ut imponant nobis*. ad Ephes. 4. v. 14. Detestemur & abominemur illos Doctores, qui suprà pios alios, supra sanctissimos *Patres*, Ecclesiæ consensum, supra Canones Legesque, imò supra Deum ipsum se efferunt, vanissima impiarum opinionum mendacia divinæ voluntati legibus comprehensæ præponentes. En vocem Caramuelis! *Non multum ego temporis impendo, aut* PERDO *in veterum* (Patrum) *libris legendis; non quod contemnam illos, sed quod omnia, quæ pulchrè cogitarunt, jam sint à junioribus summo studio & ingenio elimata.* Scilicet amplectitur ille Cellotii sententiam, *doctrinam morum à recentioribus petendam esse.* Atque hic est ille MAGNUS Jesuitis appellatus Caramuel, *le flambeau des beaux esprits,* FAX INGENIORUM. Fidem jam habeo Alphonso de Vargas, dicenti lib. de Stratagem. Jesuit. c. 2. & c. 16. *Jesuitas non solùm Monachis, sed & Doctoribus, Patribus, Conciliis, Pontificibus, ac Evangelistis se sapientiores* credere. *Sibi liberum esse, præter & CONTRA Sanctorum Patrum & Doctorum sententiam in Religionis doctrina innovare.* cap. 57. Scilicet his arbitris cuivis vel patet vel clausum est regnum cœlorum, τῷ πέτρῳ σάλιμν, hoc est, cuivis negotio suam PROBABILITATEM applicantes, modò foro suo serviant, & quæstum ac ambitionem suam proferant: qui cum voluntati divinæ contraria placita tueantur, & adeò dilutè atque impiè de amore Dei doceant, non tamen dubitant profiteri, *Dei gloriam &*

Socie-

Societatis Jesuiticæ commodum realiter idem esse, nec nisi ratione differre; uti refert de Vargas cap. 41. eoque nomine *Cæsarem, ut Advocatum Monasteriorum*, *docent propter ipsos pejerare*: ceu idem testatur cap. 42. Scio equidem hunc librum ut famosum à Jesuitis proscribi, sed quo jure quave injuria hoc fiat nescio, cum hæc aliaque omnia ex ipsorum scriptis, quorum diserta fit allegatio, Alphonsus compilaverit. Scilicet hi Suffeni non vident manticæ quod in tergo est; infelices hoc parte, quod cum alii Divi in festivitatibus suis cœcos illuminent, Ignatius videntes excœcet; uti idem ait Vargas cap. 7.

Dicas, à Casuistis his Patres Ecclesiæ in satis magno honore haberi, quod ipsarum probabilium sententiarum testes ab iis adhibeantur? Hoc quidem aliquando fieri non nego, sed summa Patrum & Doctorum Ecclesiæ veterum injuria, dum depravatis vel verbis vel sententiis illorum doctrinam sæpissime adulterant, cujus improbitatis satis prolixum Catalogum contexuerunt Parochi Parisienses, quem, uti alia multa, jam omitto. Non igitur illos venerantur, sed pia illorum dogmata in impia diffingentes eos calumniantur. *Quid* quod, teste Alphonso de Vargas d. l. c. 4. sub fin. se profitentur hostes D. Thomæ, ejusque doctrinæ, qui olim Ecclesiæ SCUTUM dici meritus est? *Quod* pessumdato Aristotele & Thoma sibi Infallibilitatem arrogaverint? eodem teste c. 8.

Quidquid vero hi homines crepent, licet ipsa penetralia Pontificis, ipsumque Pontificem obsideant possideantque, justo tamen zelo excitatus, qui jam sedet, Papa Apologiam Casuistarum, PROBABILITATIS fuco ubique renidentem, damnavit. Et, nequid dubites LECTOR, en tibi ejus censuræ exemplum ex editione Gallicana bona fide huc translatum.

DECRETUM PAPÆ ALEXANDRI VII. continens Condemnationem Libri inſcripti,

Apologia Caſuiſtarum &c.

Feria V. die 21. Auguſti. 1659.


IN congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud Sanctam Mariam Majorem, coram Sanctiſſimo D. N. D. ALEXANDRO divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis ac Reverendiſſimis DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana, contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus D. N. ALEXANDER PAPA VII. præſenti decreto prohibet, & damnat Librum, cui titulus eſt, *Apologie pour les Caſuiſtes contra les calomnies des Janſeniſtes, où le Lecteur trouuera les vèrités de la Morale Chreſtienne ſi nettement expliquées, & prouvées auec tant de ſolidité, qu' il luy ſera aiſé de voir que les maximes des Janſeniſtes n' ont que l' apparence de la verité; & qu' effectivement elles portent à toutes ſortes de pechés, & au grands relachemens qu' elles blâment avec tant de ſeverité. Par un Theologien, & Profeſſeur en droict Canon. A Paris* M. DC. LVII.

Eumque pro damnato, & prohibito haberi vult. Mandat propterea Sanctitas ſua, ut nemo cujuſque gradus & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignus prædictum librum apud ſe retineat, aut legat, neve imprimere, aut imprimi curare audeat, ſub pœnis, & cenſuris in ſacro Concilio Tridentino, & Indice librorum prohibitorum contentis, aliiſque arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis, ſed ſtatim quicunque illum habet, vel in futurum quandocunq; ha-

habebit, locorum Ordinario, seu Inquisitoribus sub iisdem pœnis exhibere teneatur.

JOANNES LUPUS Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Not.



Anno à nativitate D. N. JESU CHRISTI, millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, indictione duodecima, die vero 26. Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. ALEXANDRI, Divina Providentia Papæ VII. anno ejus quinto, supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicarum S. Joan. Lateran. & S. Petri de Urbe, nec non ad valvas Palatii Sacræ Inquisitionis, Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, per me Hieronymum Mascellum ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & S. Inquisitionis Cursorem.

Habes Decretum: cui an sint obsecuturi, vehementer equidem dubito. Suprà enim ambitionis Jesuiticæ hoc esse axioma vidimus, sententiam, utcunque absurdam, semel prolatam, esse à Sociis defendendam. Testaturque Alphonsus, Jesuitici Status gnarissimus, Jesuitas Romanam Censuram contemnere *cap. 16.* putareque, se à Papa metui, ejusque jussa palàm contemnere. *cap. 17.* Quidquid futurum sit VESTRA cumprimis res agitur, RERUMPUBLICARUM PRINCIPES, quibus DEUS, cujus vicem sustinetis, summa cum autoritate imperium commisit, ne quid res divinæ humanæque detrimenti capiant. Nam propter quæ scelera excidium civitatibus Deus mini-

tatur, & justissimæ vindictæ suæ exempla edidit, licita facit PROBABILITAS JESUITICA. Hæc homicidiis, duellis, scortationibus, sodomiæ, calumniis, arti fœnebri, furtis, simoniæ, summæ in Deum improbitati, vitiis deniq; omnibus latissimè fenestram aperit, & quod maximè triste ac indignũ est, vitia probitatis specie meretricia tingit, ut parùm cautos vitæ suæ arbitros tantò faciliùs dementet. Tollit eadem omnem disciplinam & reverentiam domesticam, jus omne ex foro & judiciis exigit, deniq; summa imis miscet. Hæc ubi fiunt in Republica, quid restat, nisi ut exequias illi eamus. Hac admissa PROBABILITATIS hypothesi, VESTRA, PRINCIPES, vita salusq; in manu & arbitrio est omnium illorum, qui pestilentissimum hoc dogma amplexi sectantur. Ecce enim quid dicat Emanuel Sa: *Lata sententia Pontificis in Regem, potest quisq; fieri exsecutor.* Quid Mariana de Rege & Regis institutione: *Præclarè ageretur cum rebus humanis, si multi homines forti pectore invenirentur, pro libertate patriæ vitæ contemptores & salutis. Quodsi evaserint* (sc. regibus jugulatis) *instar magnorum heroum in omni vita suspiciuntur: si secus accidat, grata superis, grata hominibus hostia cadunt, nobili conatu ad omnem posteritatis memoriam illustrati.* Hoc scilicet epiphonema subjungit elogio Jacobi Clementis, de quo mox dicam. Quid Bellarminus: Papa inquit *Tom. 1. lib 5. c. 6. de Papa. potest mutare regna, & uni auferre, atq; alteri conferre.* Cap. 7. *Pontificis est judicare Regem esse deponendum, vel non deponendum.* Ibidem, *Pastori necessaria potestas triplex: circa lupos, arietes, oves.... Princeps autem est aries furiosus destruens ovile, quando est Catholicus fide, sed adeò malus, ut multùm obsit Religioni & Ecclesiæ. Ergo poterit pastor Ecclesiæ eum recludere, vel redigere in ordinem ovium.* Et c. 8. idipsum confirmat exemplo Oziæ, Athaliæ & Gregorii I. Papæ, cui hæc tribuit: *Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunq; personarum secularium hujus Apostolicæ autoritatis, & nostræ præceptionis decreta violaverit, cujuscunq; dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur.* Quid Idem libro de Potestate Papæ contra Barclajum p. 35. edit. Rom. *Potest*

ac

ac debet summus Pontifex Regibus imperare ... & si non obtemperent, potest eos de Ecclesia per Censuram excommunicationis ejicere, & populos à juramento fidelitatis absolvere: denique eos regno exuere, & regia potestate privare. Pag. 33. *Est in Romano Pontifice potestas temporalia disponendi usque ad ipsorum Regum & Imperatorum depositionem, &c.* P. 65. *Proinde cum summus Pontifex transfert regnum ab uno ad alium, non tollit quod Deus dedit, sed ordinat & dirigit.* Quid lib. 1. de Translatione Imperii c. 12. Tom. 1. *Hac potestate Pontifex Zacharias Childerici regnum, quod ejus socordiâ Catholica Religio in Galliis non modicum detrimentum pateretur, in Pipinum & filios ejus transtulit.* Quid Ludovicus Molina Tom. 1. de Just. & Jur. tract. 2. Disp. 29. *Potestas spiritualis Summi Pontificis ad finem supernaturalem, adjunctam quasi ex consequenti habet supremam & amplissimam potestatem jurisdictionis temporalis super omnes Reges, & reliquos qui sunt de Ecclesia, præcisè tamen quantum postulat finis supernaturalis. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest summus Pontifex deponere Reges eosque suis regnis privare. Potest etiam inter eos judicare de rebus temporalibus, legesque eorum infirmare, idque non modò Censuris ad id cogendo, sed etiam pœnis externis, ac vi & armis, non secus ac quivis alius Princeps..... Atq. hac ratione verè summus Pontifex dicitur habere utrumque gladium supremamq. potestatem temporalẽ & spiritualem.* Quid Alphonsus Salmeron tom. 4. part. 3. tr. 4. p. 411. *Illis Regibꝰ & Magistratibꝰ tanquã quibus suis Papa velut Pastor præcipere potest... Cui habent Principes obedire; & si resistant, potest eos tanquam contumaces punire: & si in Ecclesiam & Christi gloriam aliquid moliantur, potest eos imperio & regno privare; eorum ditiones alteri tradere.... Atque hac potestate sæpius multos usos fuisse Pontifices, atque illos quidem sanctissimos & doctissimos... Atque hæc potestas necessariò consequitur legitimum usum clavium regni cœlorum.* Quid Carolus Scribanius, Clarus Bonarscius ἀναγραμματιζομένῳ nomine alias dictus in suo Amphitheatro honoris lib. 1. cap. 12. *Vis certius experimentum Pontificiæ potestatis? Figulus argillam temperato ignis afflatu in materiam robu-*

robu-

robustiorem recorporat, aliam ex alia fingit speciem. Galliam Zacharias Pontifex in meliorem animam adflatus sui cura fingit, cum Childericam III. abire jubet regno, &c. Quid Andreas Eudæmono-Joannes in Epistola ad Amicum: *Potuit* (Gregorius VII. Pontifex) *non ut Dominus, sed ut minister Christi deponere Principes.* Quid Joannes Azorius Institut. moral. l.9.c.5.col.1232.edit. *Lugdun. Principi negligenti & ignavo Papa potest dare adjutorem. Si vero aliter Reip. pax, & salus conservari commodè nequit, nisi Princeps regno spolietur, tunc licitè è regno dejicitur.* Quid Robertus Personius tr. de Mitigatione erga Catholicos in Britannia contra Morthonium: *Quamvis inter Canonistas & Theologos controversia adhuc sit de modo, quo Papa talem in temporalibus habeat potestatem, directè scilicet an indirectè; utrosque tamen unanimiter consentire, Christum in Ecclesia talem reliquisse potestatem temporalem in casibus magni ponderis, quia alioqui Ecclesiæ necessitatibus non sufficienter providisset.* Quid Franciscus Suarez Tom. 5. Disp. 15. sect. 6. n.7.p.270. *Per se loquendo & vi excommunicationis* (Pontificiæ) *possunt subditi obedientiam, fidelitatem, tributa, & omnia obsequia Principibus negare.* Et Idem Defens. fidei Cathol. lib.3.c.22. & 23. & lib.6.c.4.& 6. *Tam certò Papam posse multis de causis Principes pœnis temporalibus coërcere vel punire, quàm est certum, non posse Ecclesiam in fide & moribus errare.* Item, *Posse Papam Reges regnis privare, & contra eos subditos armare.* Imò *Posse subditos aliquando proprium Regem etiam justè occidere.* Et lib. 6.c.8. *Papa habet potestatem ad deponendos Reges hæreticos, & pertinaces, suove regno in rebus ad salutem animæ pertinentibus perniciosos, inter dogmata fidei tenenda & credenda est. Nam continetur in verbis Christi Petro: Quodcunque ligaveris, &c. Pasce oves meas, prout Ecclesia Catholica ita intellexit, & apertissimè declaravit Bonifacius VIII. Extrav. Unam sanctam.* Ibidem c. 4. n.14. *Rex talis post depositionem incipit esse tyrannus titulo, quia non est legitimus Rex, nec justo titulo regnum possidet.... Ergo ex tunc poterit tanquam omnino tyrannus tractari, & consequenter à quocunque privato poterit interfici.* Quid Gabriel

Gabriel Vasquez in 3. part. Disp. 87. Resp. ad 3. rat. *Christus reliquit Summo Pontifici Vicario suo spiritualem potestatem in Ecclesiam, ratione cujus habet etiam potestatem ut dicūt, indirectè, in omnia temporalia.* Et Tom. 2. in 1. 2. disp. 169. c. 4. n. 43. ed. Antverp. 1621 *Si omnes de stirpe regia haeretici sunt, justè à Pontifice omnes illi successores regno privari possunt ... Quodsi etiam Regnum infectum esset, Pontifex ut supremus Judex in causa fidei assignare posset Catholicū Regem pro bono totius regni, ipsumq; vi armorum, si opus esset, introducere. Nam bonum fidei & religionis hoc exposcit, ut supremū Ecclesiæ caput tali regno de rege provideat, & jura regni, si opus fuerit, transgrediatur, ut bonum fidei & religionis conservetur.* Quid Leonardus Lessius de Just. & Jur. l. 2. c. 33. de tribut. & vect. dub. 2. p. 408. *Posset Papa extra ditionem suam temporalem vectigal imponere & subsidia necessaria imperare:* QUIA HABET PLENAM POTESTATEM IN TEMPORALIBUS: *Posset etiam Principem Christianum, qui nollet opitulari, deponere, & alium sufficere. Deniq; posset civitati vel Reip. dare jus absolutū & independens se administrandi, & nō agnoscendi superiorem in temporalibus privando priorē Principem suo regno.* Quid Jac. Gretserus libro, quem Hæreticum Vespertilionem appellat p. 158. & 159. *Tam timidi & trepidi non sumus, ut asserere palàm vereamur, Romanū Pontificem posse, si necessitas exigat, subditos Catholicos solvere juramento fidelitatis ... Et addimus, si hoc à Pontifice prudenter & circūspectè fiat, esse opus meritorium. Quid vis amplius? Liquet hoc ex Disp. de potest. Pontif. ap. Bell. & apud alios Scriptores.* Quid Cotonius Instit. sua Cath. ad q. 35. *Non est Papæ deneganda utriusq; jurisdictionis* (spiritualis & temporalis in Principes) *executio in iis omnib9, quæ ad Religionem, cultum divinum, Ecclesiæ bonum, & animarum salutem pertinent.* Quid Martinus Becanus p. 108. ed. primæ. & 122. secundæ: *An Pontifex, qui potest Reges & Imperatores excommunicare, ut dictū est, possit etiam deponere, si id meriti sint? Negant Sacellanus, Barclajus: affirmant Catholici, & meritò, &c.* P. 115. primæ, & 130 sec. edit. *Poterat Pontifex in Veteri Testamento mandare, ut Reges leprosi seorsim habitarent, & si nollent obedire, ut vita privarentur. Nihil certius ... Hinc colligimus duplici titulo potuisse Reges privare suo regno: primò quia poterat eos, si contumaces essent, privare vita; ergo & regno. De*

hoc nemo dubitat. Et p.120. *Plus dicam: In hac re tantum valuit consensus populi, ut etiamsi superesset legitimus heres, cui regnũ deberetur, & hoc palàm omnibus constaret; tamen si populus prætermisso legitimo herede alium delegisset, ille alius fuisset verus Rex. Exemplũ habemus in Roboam & Jeroboã, &c.* P.125. primæ, & 140. sec. ed. *Quidquid potestatis permissum fuit Pontifici in V. Test. hoc etiam in Novo permissum illi est. At in Vet. permissum illi fuit ut deponeret Reges, si id meriti essent. Ergo etiam in Novo.* P.127. & 142. *Reges & Principes qui violaverint privilegia monasteriis à Põtifice concessa, excommunicandos, & sua dignitate ac honore privandos esse.* P.136 & 152. *Igitur prima conditio est, ut Rex meritus sit depositionem. An autem meritus sit, ex prudentia Doctorum, ac piorum hominum judicio æstimandũ est.* Quid Anton. Santarella tract. de Hæresi & Schismate passim: *Summus Põtifex potest pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eosq; deponere, & suis regnis privare.* Item: *In eo esse de jure divino utramq; potestatem spiritualem & temporalem &c.* Quid Filliutius tr. de Censuris. c.6. q.10. *Decimo quæro, an excommunicatus sit privatus etiam jurisdictione. Respondeo, si loquamur de privatione jurisdictionis; sic videtur dicendum, excommunicatum esse privatum ejus usu: si vero agatur de privatione ipsius jurisdictionis & valoris ejus sic à Canonistis videtur idem affirmari de hac jurisdictione seculari, quod diximus de Ecclesiastica & spirituali.* Quid Stephanus Bauniius tract. 2. Disput. 2. qu. 5. art. 101. *Bene habet, jam causa nostra fundamenta sunt jacta. Nam si Pontifici obsequi Reges debent, si thiaræ sceptra subjici, si Romana Curia privata Regum; ut ad obsequium pronos præmiis, sic immorigeros ac duros, sic pervicaces justis suppliciis puniri posse quis non videt?* Hæc ejusq; farinæ dogmata alia, quę jam brevitatis studio omitto, talia sunt, quæ summam omnium imperantium autoritatem, dignitatem, vitam ac salutem dubiam faciunt. Proinde omnes Rerump. RECTORES obtestatos volo, diligenter cogitent, quanto in discrimine ipsi versentur, quàm caducum & fragile ipsorũ sit sceptrum, ubi Curiæ Romanæ ejusq; primipilis fortè adversantes, aut non ex voto velificantes, justissimè alioqui imperant. In Legib⁹ enim satisne habent præsidii adversus illos, qui iis se probabiliter OBLIGATOS & probabiliter

DEOBLIGATOS credũt? aut vero in Armis, qui martyrii gloriam in atrocissimi facinoris, regicidii, supplicio quærunt? Quid enim dubitabit Probabilistarum adsecla aut alumnus quemvis adoriendi Regem aut Principem, cum ex illorum hypothesi tot Doctorum autoritate ac sententiis probabilibus munitam ad tale facinus patrandũ habeat conscientiam? Nihil itaq; miror, quod superioris seculi anno XXCIX. Jacobus Clemens, viginti quatuor annorum juvenis sicam in HENRICI III, Galliæ Regis, corpus adigere ausus fuerit: quod facinus nõ solùm ROMÆ laudatũ, sed & à Sixto V. Põt. mysterio Incarnationis ac Resurrectionis filii Dei adsimulatũ esse testatur Oratio Parisiis eo tempore publicata. Scilicet persuasit hoc illi facinus PROBABILITAS. Non miror Joannem Chastellum adolescentem item laudatissimi Regis sui HENRICI IV. jugulum petiisse, ejusdem seculi anno XCIV. Persuasit PROBABILITAS. Non miror Franciscum Ravalliacum anno hujus seculi X. nefario ausu REGEM TANTUM interemisse: Persuasit PROBABILITAS. Non miror Robertum Catisbejum aliosq; Augustali Londinensi pulverem nitratum subjecisse, ut Regiam uno momento discerptam familiam tolleret. Persuasit hoc ipsis eadem PROBABILITAS. Cui cum germana soror accesserit INFALLIBILITAS, da posse, nemo profectò hominum superErit in hoc universo, præter

SO LIPSOS rerum dominos gentemq; togatam.

Quid itaq; factu opus sit, signo sublato Gallia videtur ostendisse aliis, justissimis censuris monstrũ hoc esse penitus proscribendũ ac delendũ. Imò an sic satis tanto malo cautũ sit, prudentiores cogitẽt. Quia enim Majestas civilis, ignara se angues in sinu alere, talia scripta prope infinitis ac sinuosis voluminibus typis exscribi & universo orbi exponi permisit; hinc improbè cõficta dogmata tacito Ecclesiæ cõsensu etiam confirmata & approbata esse impudẽtissimè clamitant. Agite igitur, quorũ hoc officium est, quod rei necessitas & veritas postulat, & orbi testatũ facite, quàm maximè displicere Ecclesiæ omnibusq; bonis, quod dudum displicuit gentili, & quidem Epicureo, imò Epicuro pejori Lucretio,

— — CONVELLERE TOTA
FUNDAMENTA QVIBUS NIXATUR VITA SALUSQ;

Alteram vobis quoq;,quibus Rerump. arbitrium Deus credidit,curam commendo,attentè ut cogitetis, quanto in salutis discrimine misera juventus versetur, Jesuitarum Probabilistarũ institutioni commissa.qualia enim didicerunt ipsi dogmata,eadem vicissim suis tradunt discipulis , illorumq; animis quibus possunt illecebris hoc venenũ inspirant.Innocentissima itaq; ætas oracula se accepisse rata, vix deinceps adduci potest,ut mendaciorum virus se imbibisse intelligat. Nam

Quo semel est imbuta recens , servabit odorem
Testa diu.

At inquiunt vulgo,non esse alios,qui pari dexteritate & exquisita methodo exiguiq; temporis compendio animis juvenum instillare imò infundere doctrinæ rivos sciant.Ego vero contendo,famam illam majorem esse,quàm veriorem.Et licet vera sit,præstat tn.parùm doctum,magisq;pium esse,quàm & doctissimum & esse Probabilistam,h.e.improbissimum.Non ausim omnino derogare fidem de Vargas ita scribenti de Strataq. Jes.c.57.*Jesuita*,inquit, *Scholis totius orbis per fas & nefas inhiant,ut eas evertant,& juventutẽ ac reliquas ætates & status pestifera sua doctrina inficiant*.quid quod extra Jesuitarum claustra in frequentibus oppidis,urbibus & alibi optimi juvẽtutis Doctores,optimeq; instructæ Scholæ haberi possunt,modò plus stipendii & minus vilipendii inde docentes retulerint.Illos vero Parentes, qui in Protestantium cœtu sunt,& liberos suos nolint vel latum unguem ab August.Confessione recedere , & tn. erudiendos illos Jesuitis dant , quomodo excusem nõ invenio.Dum enim periculo peccandi liberos exponunt, ipsi jam peccant, quos in crepidine constitutos mox facili negotio Probabilistæ in Orci barathrum præcipitant. Parendum enim his est usq; ad bestialem virtutem,ut ipsi loqvuntur. Monenda hæc esse duxi : omnia enim pro merito explicare alterius est negotii.

Hæc habui quæ de PROBABILITATE IESUITICA dicerem,nõ quod plura dici de ea nequeant , sed quod hæc opera jam ab aliis occupata sit,& hæc juxta filũ Peripateticę Philosophię examinata Academicis nostris studiis sufficere existimem. Utinã quod Veritatis solius studio de hoc argumento commentatus sum,animis veritatis cupidis excipiatur. FINIS.